# IOANNIS CHRISTO-phori Calueti Stellæ de Aphrodiſio expugnato, quod vulgo Aphricam vocant, Cōmentarius.

*Cum ſcholijs Bartholomæi Barrienti Illiberitani.*




SALMANTICÆ,
Apud Ioannem Canouam.
M. D. LXVI.

# LICENCIA.

YO el doctor Diego Perez cathedratico de Canones en la vniuerſidad de Salamãca, Prouiſor en la ciudad y obiſpado de Salamanca, por el Illuſtriſsimo y Reuerendiſsimo ſeñor don Pero Gonçalez de Mendoça obiſpo de Salamanca del conſejo de ſu Mageſtad, &c Por la preſente doy licencia a vos Iuan de Canoua impreſſor vezino de Salamanca para que podays imprimir el Cõmentario de Africa en latin que compuſo el ſeñor Iuan Chriſtoual Caluete de Eſtrella criado de ſu Mageſtad con los Scholios del maeſtro Bartolome Barrientos cathedratico en la vniuerſidad de Salamãca, ſin que por ello incurrays en pena alguna. Dada en Salamanca a diez y ocho dias del mes de Septiembre, Año de mil y quinientos y ſeſenta y ſeys años.

*Doctor Diego Perez.*

Por mandado del ſeñor Prouiſor.
Antonio Perez
Notario.

# CORNELII Scepperi viri clariſ. ad Lectorem Præfatio.

POLYBIUS *Megalopolitanus Scipionis Africani Maioris Coætaneus et præceptor, grauiſſimus auctor, veritatem in hiſtoria perinde atq; oculum in iumento eſſe dicit: ac veluti ſi quis oculos animanti effoderit, quicquid ſupereſt corporis, inutile fit: ita dempta ex hiſtoria veritate, narrationē omnem reddi inutilem. Cui ſententiæ quum nemo ſani iudicij vnquàm contradixerit, nō defuère, qui varijs modis illam aſtruere conati ſunt: nonnulli ſcriptis tantummodo rebus, quibus gerendis aut præfue-*

*re, aut ſaltem interfuère: alij, quibus vi-
ſum eſt paulò lõgiùs decurrere, ad ea ſci-
licet quæ non multò ante eorum tempo-
ra acciderant, in ea parte tam religioſe
verſati ſunt, vt non contenti nomina viro
rum illuſtrium, ſitus, poſitionesq́; regio-
num, fontes delapſuſq́; fluminum, natu-
ram qualitatemq́; montium, vallium, ſyl
uarum, paludum, & camporum, in qui-
bus quæque præclara geſta ſunt, ex alio-
rum commentarijs tabulisúe deſumere,
verùm vltrò ipſi ea adire, ſingulaq́; rima
ri, & ex ijs, qui vel interfuiſſe rebus, dũ
gererentur, aut ex alijs auditas remini-
ſci poterant, magna ſolicitudine atq; cu-
ra percunctati. Cæteri, qui vel à mundi
exordio, vel ab initijs regnorum, aut re-
rum publicarum auſpicari maluère, pro
batiſsimis quibuſq; ſcriptoribus cum ipſa*

*ratione*

ratione eorum, quæ inde ſecuta ſunt, veluti certiſsima quadam amuſsi collatis, aut ſuam ſuper iis ſententiam apertè declarauêre, aut quid cuiq; probabile videretur, id illi amplexandum reliquêre. Quin & ij qui circa obſcuras origines verſati, præſidioq́; ſcriptorum, quibus vti ductoribus poſſent deſtituti, ad fabuloſas narrationes cōfugere coacti ſunt, credibiliora ſemper minus credibilibus prætulerunt, ab omni adulationis vitio (præter paucos, qui ob id è probatorū claſſe deiecti ſunt) alieniſsimi. Tantum fuit omnibus ſtudium veritatis propagādæ. Quæ ſi pleriq; noſtrorum temporum, aut paulò ſuperiorum pro dignitate animaduertiſſent, certè non tam illotis, quod aiunt, manibus ad ſcribendam hiſtoriam ſe contuliſſent. Dum alij nulla humanarum artium ſu-

 pellectile

pellectile inſtructi in temporum ſupputationibus rerum geſtarum ſerie enarranda, regionumq́; deſcriptionibus fœdè hallucinantur. Alij circa nomina locorũ hominumq́;, de quibus agunt, ita incurioſe verſantur, vt, quos deſignare volũt, nemo intelligat. Atq; hæc fortaſſe cõdonari poſſunt. Quid verò de illis dicendum, qui in gratiam adulationemq; propenſi, quò Potẽtatibus, aut Purpuratis, aut alioqui gratificentur, & ab illis honorarium extorqueant, non verentur ea, quæ toto cœlo à veritate aberrant, chartis illinere, & quaſi æternitati dedicare. Quid rurſus de ipſis Potẽtatibus? qui mercenaria aliorum opera vtentes, non ea tantùm, quæ ipſorum Marte, qualicunq; conſilio exitúue cõfecta ſunt in maius extollere, populiſq; ſibi cõmiſſis fucum obducere, & quoduis

*imprimere, quantumuis falſum in cõſuetudinem verterunt, ſed & ſubmittũt paſſim, qui aliorum ſcripta, vel noſtra tempeſtate vel aliquot retro ſæculis ædita deprauant, & pro veris adulterina ſub ipſorum authorũ nomine priuilegij adiectione, quô vera putentur, Typographis excudenda committunt? An non ij ſtolidi pariter atq; impij habendi ſunt? ſtolidi, qui non putant emerſuram aliquando veritatem: impij autem, quia, quæ iuſto Dei iudicio propter peccata populi inflicta ſunt, ea ipſi interuertere, & contra quàm euenerũt, perſuadere conãtur. Proinde mea ſentẽtia magna laude digni ſunt, qui probè cognoſcentes quantum ſubueniat Reipub. cognitio hiſtoriæ ad omnem vitæ rationem inſtituendam in hoc genere ſcribendi innoſcenter verſati, quæ præclarè*

geſta ſunt literarum monumentis commendare ſtuduerunt, vt habeat poſteritas, quæ admiretur pariter atq; imitetur. De quorũ numero ego ſanè cenſeo eſſe Ioannẽ Chriſtophorũ Caluetũ Stellã, ex Hiſpanica nobilitate magnæ eruditionis & iudicij virum, tum varijs in rebus, quas copioſe & luculenter digeſtas, prope diem in lucem emiſſurus eſt, tum in cõpendioſa hac hiſtoria expugnati Aphrodiſij, vt ipſe nominat, ſiue Leptis minoris, quacunq; vrbem eam voce nũcupare malis. Quum enim videret res ſuperiore anno in Prouincia Aphrica auſpicijs Caroli Cæſaris fortiſſimè pariter & fæliciſſimè geſtas varijs modis traduci, nonnullis totam eam victoriam ſolis Italis, alijs ſolis Luſitanis aſcribentibus, ſuppreſſo penitus Hiſpanorum nomine perinde ac ſi

*ex ea gēte nullus illic militaſſet, indignū ratus eſt, pati eius rei fructū ab alijs carpi, quàm ab ijs, quorum excellente virtute parta eſt: parta autem imprimis eſt ab Hiſpanis, non quòd ijs, qui ex alijs gentibus in eam expeditionem ſeſe contulêre, ſua ſit gloria adimenda: (Nemo enim eorū non ſtrenuè atq; fortiter egit) ſed quòd inſigniter pauci magnum momētum ad palmarium adferre nō potuêre. Etenim Carolus Cæſar, quum de militari virtute Hiſpanorum ſuorum, variari aliarū gentium iudicia videret, quò ſolidæ fortitudinis ſpecimen exhiberent, ſolos, aut ſaltem quàm pauciſsimis aliarum nationum comitatos in Aphricam traijcere voluit. Neq; verò in obſcura aliqua vrbe, aut quæ prius belli expers intētataq; permāſerat, ſed in ea voluit ipſos periculum face*

*re, quæ totius Africæ propugnaculum atq́ arx vnica, ab alijs Clauis multis abhinc temporibus nuncupata, variarū gentium diuerſis obſidionibus preſſa, conatus omnes hoſtiles inuicta ludificauerat, ciuili tantùm bello, domeſticaq́ ſeditione libertatem ſeruitute commutauerat. Ut enim taceā, quoties primum Siculi deinde Neapolitani Reges arma aduerſus eam fruſtra mouêre: nōne inſignis & cum primis memoratu digna ea fuit expeditio, quæ ſub annum noſtræ ſalutis. M.CCC.LXXX. a Gallis et Liguribus, ductu atq́ auſpicijs Ludouici Borboniorū ducis aduerſus eā potiſſimū inſtituta fuit? Parū enim cæterā prouinciā Africam Ligures alijq́ maritimi Italiæ populi exiſtimabant, ſi modò ea vrbe ſola potiri potuiſſent. Itaq́ ad eam oppugnandam*

ipſi

*ipſi quidem contulere naues longas tre-
centas , onerarias centum, militum vi-
ginti millia, & commeatum, qui tranſue
hendis alijs, qui in ſacram eam militiam
nomina darent, abundè ſufficeret. Gallo-
rum verò, atq; Anglorum, Belgarumq́;
eorum qui Francorum imperium non
agnoſcebant, numerus fuit millium qua
tuordecim, perſpectæ omnium nobilita-
tis, quòd obſcuro loco nati ferendis ſumpti
bus pares non eſſent, atq; ob id edicto ex-
cluderentur. Et tamen neq; tam magnæ
claſsi, neq; tam numeroſo exercitui, nec
peritiæ militari tunc ceſsit Aphrodiſiũ:
ſed poſt bimeſtre à quo cepit, magna cum
iactura noſtrorũ obſidio ſoluta eſt. Quan
to maiore admiratione digni ſunt, qui
claſſe permodica, vix mediocribus copijs,
nec multo longiore tempore votorum cõ-*

*potes effecti, pauciſsimis pro magnitudine rei amiſsis, aut in vrbe expugnata per vim manſere præſidio, aut in patriam, hoſtilibus exuuijs prædaq; onuſti, victores reuerſi ſunt? Proinde an non magnopere commendandus Stella, qui talium virorum memoriam extinctum iri nolens, tam luculenter graphiceque totam eam expeditionem depinxit, vt res ipſe non legi, ſed geri videantur? Tali autem candore ſermonis, vt eo nihil purius nihilve terſius haberi poſsit. Quam quum lecturus es, primùm apud te perpendas oportet, Deũ ſanctis & pijs conatibus hominũ fauére: deinde victoriam ex eo, non ex hominum multitudine roboreve pendere. Poſtremò mediocrem veteranorum virtutem magnis aliorum copijs non immeritò eſſe formidabilem.*

## AD CAROLUM. V. Cæſarem Auguſtum Gonſalui Perezij à ſecretis Philippi. II. Hiſpaniarum Regis.

### Epigramma.

*Dum tu Germanis das leges Maxime Cæſar,*
*Inq; rebellantes horrida bella paras.*
*Dum vel componis nunc hæc, nunc diſpicis illa,*
*Vt te diſtringit Religionis amor.*
*Ecce arces Libyæ tibi cedunt, Aphrica victa eſt,*
*Subdit & imperio barbara colla tuo.*
*Nec mirum ſi Hiſpana cohors diſcrimina tanta*
*Auſpicijs ſuperat Carole Diue tuis.*
*Sed ſi parua manus abſenti Cæſare vincit,*
*Quid ſi acies vultus cerneret ipſa tuos?*
*Inuideat Latium, ſileat iam Gallia pugnax,*
*Vincendiq; modum diſcat ab Heſperia.*
*Acceptum Hiſpanus ferat hoc tibi, tu tamẽ illi,*
*Quod tulit intrepidus ad tua vota manus.*

# AD EVNDEM ADOLphi Meterchi Brugenſis Epigramma.

*Quæ nuper capta eſt, Vrbs Aphrica Marte feroci*
*Auſpice fortuna Carole Diue tua.*
*Longe aliud (ſi vera canunt oracula vatum)*
*Hoc maius de te vaticinatur opus.*
*Tempus erit, quo tota etiam tibi magna triũphos*
*Africa pars mundi tertia victa dabit.*
*Deinde quod eſt Aſiæ reliquum, Europæq; potẽtis*
*Imperio accedet protinus omne tuo.*

# AD EVNDEM NI-
# colai Nicolaij Grudij
# Epigramma.

*Interea patris renouas dum numina templis,*
*Numinibus reddi templaq; rapta iubes.*
*Deſerasq; ſacros aris indicis honores,*
*Suadet vt antiquæ Relligionis amor.*
*Ecce procul meritis pro talibus, Orbe remoto,*
*Additur imperijs Aphrica capta tuis.*
*Victaq; gens verſis animis pia ſacra recepit,*
*Luſtraturq; Deo flumine tincta caput.*
*Auſpicijs pugnaſſe tuis tam iuuit Iberos,*
*Quos penes eſt per te gloria militiæ.*
*Nempe ſui Deus ipſe fouet quod vindicis arma,*
*Orbe tuo maius Carole nomen habes.*
*Id tamen vt nuſquam longo obſcuretur in æuo,*
*AEterna illuſtrans dat tibi Stella face.*

## EIVSDEM AD STELLAM.

*Solus Alexandrum depingere norat Apelles,*
*Dicere tu ſolus Cæſaris acta potes.*

*IOAN-*

# IOANNIS CHRI-ſtophori Calueti Stellæ ad Aphrodiſium.

## Paræneſis.

*Exi, vade Aphrodiſium diſerti,*
*Illuſtriſq; Auilæ domum fouebit:*
*Blando te ille ſinu: rogabit ecquid*
*Noſter Stella agit? Et viam ire dices,*
*Et Scaldim petere, vt tuas ad ædes*
*Me comptum, & nitidum remittat ille.*
*Vt terræ videam æquoriſq; tractus.*
*Ceſſas ire? times? nihil pericli eſt.*
*Nec tormenta ibi, quæis quati ſuperbæ*
*Et turres valeant, tuuſq; murus.*
*Cinctas floribus, & roſis videbis*
*Spirantes Tyrium Indicumq; nardum*
*Ædes, quas Zephyri tenent ſecundi.*
*Et blandæ Charites, Puerq; nudus,*
*Auratiſq; Cypris colit capillis.*

# IOAN. CHRISTOPHORVS CALuetus Stella clariſsi. viro Ludouico Auilæ Stunicæ militiæ Alcantarenſis Præfecto. S.

GRAVE onus, lōgeq; maius, quàm ſuſtinere poſsim, mihi impoſuiſti, vt ea literis mādarem, quæ Hiſpani in Africa ſuperiori æſtate geſſerunt. Quis enim, etiam ſi id aſſequi velit, ſe conſecuturum ſperet, vt in ſcribendo Martiæ Hiſpanorum virtuti par eſſe poſsit: aut eorum laudes, & pace, ac bello præclarè geſta, quanuis eloquens, & in dicendo ſuauis & ornatus, ingenij culpa non eleuet? Quibus ſi

*tales rerum geſtarum Scriptores, quales Græcis & Romanis olim contigiſſent: non minus certè quæ fortiſsimè ipſi fecerunt, nota Poſteris eſſent, quàm quæ de ſuis illi tradiderunt. Vtcunque erit, iuuabit tamen vel periculum hac in re feciſſe, tibique Principi viro ac de Hiſpania quam optimè merito geſsiſſe morem: quippe qui Caroli Quinti Cæſaris, & Hiſpanorum res geſtas quotidie illuſtrare non ceſſas. Sed legant Hiſpani hæc per te, & quidem ab homine Hiſpano conſcripta, & ſemper, vt ſunt ſoliti, vincant, Inuictiſsimique Cæſaris nomine, & auſpicijs ſigna vltra Euphratem proferant, maiorem laudem ex ſua ipſorum virtute, quàm ex vlla Scriptorum facundia ſibi vendicantes.*

*Vale.*

# IOAN. CHRI-STOPHORI CALVE-ti Stellæ de Aphrodiſio expu-gnato, quod vulgo Aphri-cam vocant, Com-mentarius.

*APHRODISIVM*, quod vulgo Aphricam, Mauri Mahadiam appellāt, in ea Africæ ora poſitum eſt, quæ in Tunetenſe regnū abijt, quà aditū habet à terra directa frōte inter Septentriones & Auſtrum ad ducentos paſſus patet, reliqua mare alluit. Eius verò ſpatij pars, quæ ad aditū pertinet, duplici mu-

ro, & altiſsima foſſa inter vtrunq; perducta, & turriũ altitudine munita difficilem habet oppugnationem. Hinc Aphrodiſiũ ipſum paulatim latum fit, mareq́; ab vtroque latere, veluti in ſinũ, ad eas vſq; turreis admittit, quæ in occaſum Solis ſpectant. Deinde latius factum, rurſus ad orientem ſolem cõtrahitur, in tenuemq́; cuſpidem deſinẽs, linguæ ſpeciẽ refert. A mari autẽ quãquam ſimplici muro, ne ea quidẽ craſsitudine, qua à cõtinenti cingitur, tamẽ eò propius accedere perdifficile eſt: propterea quòd mare eſt illic vadoſum, & breuibus plenum. Murus & craſsitudine, quam habet, & turrium multitudine, & quòd frequentiſsimis fibulis reuin

ctus diſtinetur, præcipuè à terra fir miſsimus eſt. Nam qui interior eſt, in latitudinē pedum trigintaquatuor, qui verò pro foſſa eſt, nouem patet. Porta, qua ad oppidum eſt ingreſſus, altiſsimis turribus & operis varietate & firmitate eſt ſanè q̃ admirabilis, tot ſunt in ea inextricabiles anfractus, tot gyri, tot arcuati flexus ſuis quiſq; æratis poſtibus vtrinq; muniti. Poſt quos teſtudo quædam fornicato opere, lóga pedes ſeptuaginta ingredientes excipit, adeò anguſta & obſcura, vt omnium mentes animoſq́; perturbet, & quaſi cū aliquo numine terreat, ſpeciemq́; potiùs auerni ſpecus, quàm ingreſſus ad oppidum præ ſe ferat. Quo fiebat, vt Mauri

maieſtate oppidi, & religione ad-
ducti, crederent nulla vi ipſum ex
pugnari poſſe. Intus qua ad Septē-
triones vergit, mōticulus naſcitur
paſſus circiter à muro ſexcētos, ab-
eſtq́;, quà in auſtrū ſpectat, à nauali
& cothone centū, qui & amplitudi
ne, & operis magnitudine longè a-
lios antecellit. Nam præterquàm
ꝗ muro continetur, tutiſsimoq́;
in loco poſitus eſt, multo capacior
fieri poteſt: aditumq́; ita perangu-
ſtum habet, vt ſingulas triremes,
ſublatis etiam remis, faucibus, ve-
luti canali quodam, intrò ægrè ad
mittat: eoq́ue amplius quinqua-
ginta ſe recipere, ibiq; porta præ-
cluſa, quæ aggere & turrib' eſt mu
nita, tranquillè hyemare poſsint.

Ferunt Aphricã, quod Mauri etiã in annales retulère, à Mahgdio primo Caruani Pontifice in Adrumẽtino ſinu conditã, Mahadiamq; ab ipſo nominatã. Quã multis poſt annis, quũ eã Chriſtiani occupaſſent, Abdulmumenes Marrocheorum Rex, quæ ciuitas eſt Muaritaniæ Tingitãę, recuperauit. Extãt adhuc nõ lõge ab Aphrica perueteris oppidi veſtigia quædã, quod Aphrodiſium fuiſſe pleriq; exiſtimãt. Alij Ruſpinã, aut Leptim paruã Aphricam eſſe contendunt. Tanta eſt in reb᷒, & locis veteris memoriæ Scriptorum varietas & diſſenſio. Certè oppida illa longiùs abſunt à Monaſterio & Suſa, quæ olim Siagul fuit q̃ Aphrica. Fuit hoc oppidũ ſub im

 perio

perio Tunetẽſiũ, donec pulſo Aſſa Gerbino, q̃ Ariadenũ Ænobarbũ ſumma neceſsitudine attingebat, quiq; proditione quorũdam ipſum occuparat, ſe ſe in libertatẽ vindicauit. Quam viribus & multitudine hominum diu retinere potuiſſet, niſi eam Draguthes Turca pirata inſignis oppidanorum aliquot perfidia adiutus eripuiſſet. Is à Meninge illa Lotophagorum, quam Gelues hodie vocant, ſoluens, quæ inſula in minori Syrti ponte ad promontorium Zethã continenti coniungitur, Aphrodiſium venit, præmiſſis eo conſilio pedeſtribus Turcarum copijs, vt ſimul atq; ipſe à mari oppidum ſe velle adoriri ſimularet, concurrẽtibus eò oppidanis, illi ſta-

li ſtatim à terra ex inſidijs irrumpe rent, ipſumq́; caperent: nec fortuna comprobato hominis conſilio euentui defuit. Capto Aphrodiſio Draguthes ſe Dynaſtam appellari iubet: Africæ, Mauritaniæq́ue oram occupare, imperium proten dere, ex Neapoli Siciliaq́; prædas agere animum intendit: creuiſſetq́; præter modum viribus, niſi eodem anno, quo oppidũ captum eſt, qui fuit quingenteſimus quinquageſimus ſupra milleſimum, ab Hiſpanis fuiſſet repreſſus. Sed res ipſa exposcere videtur, vt pauca de Draguthe præmittam, quò faciliùs percipi poſsit, vnde Turca humili perob ſcuroq́; loco natus ad tantam dignitatem peruenerit. Qui cùm aliquã

diu ſub Ænobarbo tyranno Chri-
ſtiani nominis hoſte atrociſsimo
meruiſſet, piraticam facere cœpit,
non ea quidem fortuna ac nomine,
quo Sinas Iudæus & Haidinus Ci-
lix, cui Caccidiabolo cognomẽ fuit
Halicotuſque, & alij, qui ſub Æno
barbi imperio fuerunt. Sed breui
tantum virtute euituit, vt meritò
ipſum Ænobarbus piratis omnib⁹
præficeret, cùm Othomanicæ claſ
ſis, quæ anno trigeſimo octauo co-
acta fuerat, imperij ſummã teneret
Hãc cùm ipſe Cõſtantinopolim re
uerſus dimiſiſſet, Draguthes trede
cim nauibus longis in Corſicã Gẽ
nuenſiũ inſulã renauigauit animo
periniquo, & Chriſtianis infenſo.
Sed hic conatus ei infeliciter ceſsit.

Nam ad eã inſulã euaſtatis priùs, & incenſis aliquot Chriſtianorũ mari timis locis, cũ triremiũ claſſe, quæ Cæſaris ſtipendijs militabat, confli gens, amiſsis vndecim nauibus in poteſtatẽ Ioannis Auriæ venit, qui ei claſsi præpoſitus erat, & Andreæ Auriæ Principi Melphitano, & re-rum geſtarum gloria, & rei naualis ſcientia, atque vſu longè clariſsimo cũ primis charus, maximiſque ne ceſsitudinis vinculis cum illo con iunctus. Captus Draguthes non animum hoc caſu demiſit, ſed ſpei plenus in triremibus Auriæ mul-to tempore catenis conſtrictus eandem fortunam, quam alios pati coëgerat, fortiſsimè pertulit: de quo ſi more Maiorum ſuppli-

cium

cium ſumptum fuiſſet, non tam in feſtum mare habuiſſet, neq; tot incommodis Chriſtianos affeciſſet. Nam paruo pondere auri libertate priſtina recepta, ad Meningem ſe cõtulit, vbi & auctoritate, qua plurimùm apud Barbaros poterat, & amicorum ope viginti nauium lõgarum claſſe contracta in Italiam proficiſcitur, totamq; Liguriæ orã depopulatus, captis aliquot nauibus onerarijs, & trireme vna Viſcõtis Cigalæ Genuenſis cum ingenti captiuorum, & mercium numero remẽſo mari ad Meningem redijt, vnde non parum nominis & auctoritatis cùm apud alios, tum apud Turcas, quorum opera potiſsimũ vtebatur, eſt conſecutus. In ſequenti vere

ti vere ex naualibus naueis producit, ſumma induſtria armat, remigiũ ſupplet, triremes treis adijcit, ſagittarijs tormentiſq́; cõplet: claſſe ſic inſtructa, naueis ex inſula educit, oramq́; Liguſtici maris & Iberici percurrens, plus certè cladium, quàm ſuperiore æſtate intulit. Nã præter captiuorum turbam, triremem vnam Rhodiam tempeſtate ac ventorum vi in Pithecuſam, quę Iſchia dicitur, deiectam, qua magna vis auri & argenti importabatur, cepit, cùm ipſe prædandi cauſa in eam inſulam veniſſet, quod herclè fortunæ nimium ei indulgenti tribui poteſt. Vix enim contingit Rhodias vel deprimi, vel capi: tanta eſt Militum illius ordinis

nis virtus, & rei naualis exercitatio. Id cùm Andreæ Auriæ maximo Cæſareæ claſsis Præfecto nunciatum eſſet, maturat ex Genuenſium portu exire, viginti triremium numero omnia maria luſtrat, Prædonem quærit, vt cum eo decertet. Qui tametſi eſt admodum callidus, & longo rerum vſu præditus, tamen cauere non potuit, quin in conſpectum Cæſareæ claſsis veniret: quem conſpicatæ triremes noſtræ in eum ſeſe incitauerunt: ſed ille earum impetum metuens ex alto refugit, interuentu beneficioq́ue noctis euaſit, & in Meningem cum omni præda ſe recepit, ibiq́ue hyemare conſtituit. Ineunte proximo

mo vere animum ad maiora adpulit, Aphrodiſium, vt ſuprà demonſtratum eſt, cepit: ibi aliquandiu commoratus, cothonem expurgandum curat, aggere & propugnaculis muniri iubet, trecentos Turcas oppido præſidio relinquit, his præter oppidanos adiungit quadringentos Mauros, quos ex agris coëgerat, quibus omnibus Heſam Turcam Sororis ſuæ filium præficit vnà cum Halete viro ſtrenuo, qui nomen cum religione mutauerat. His oppidi cuſtodia commiſſa, omnibusque rebus conſtitutis, nactus peridoneam ad nauigandum tempeſtatem naues Aphrodiſio ſoluit, & in Hiſpaniam contendit. Erant numero

mero quadragintaſeptem, partim Liburnicę & actuariæ, partim biremes & triremes, adiunctis aliquot nauigijs ſpeculatorijs. Nemini dubium erat, quin hac claſſe Draguthes inſignem calamitatem Chriſtianæ Reipub. illaturus eſſet his præſertim inſulis, & maritimis ciuitatibus, quæ Carolo Quinto Cæſari parent: quod, ne accideret, cùm Auriæ renũciatum eſſet, quàm celerrimè præcauendum putauit. Intelligebat enim dignitatis ſuæ eſſe, hominem ferum, & barbarum cõprimere, neq; ferendum eſſe, in cõſpectu penè ipſius liberos, & coniuges in ſeruitutem abduci, populationes fieri, & vicos, oppidaq; incẽdi, naues deprimi, & capi. Videbat

etiam maximè periculoſum Nea-
poli, & Siciliæ fore, piratam finiti-
mũ habere: propterea quòd id op-
pidum, cuius imperium ipſe obti-
neret, contra Siciliam eſt, in quod,
ſi qua vis vrgeret, tanquam in tutiſ
ſimum portum, ſe recipere poſſet.
His reb9 Auria adductus, triremes
ex naualib9 educi, cohortes Hiſpa-
norum, quorum opera ſuperiore
æſtate vſus fuerat, ex Inſubria euo
cari, & omnes ad Spediã, quod op-
pidũ eſt Liguriæ in ſinu Ericis, Spe
cia vulgò dictum, conuenire iuſsit.
Erant hi milites, quos Didacus Fer
dinãdus Moreruela, Rodericus Pa
ganus, & Amadorius Nauarrus in
Hiſpania Betica cõſcripſerãt. Quos
etiam Philippus Princeps, cùm ex

Hiſpania in Galliam Belgicam contenderet, triremibus conuexerat: eoſque vt præſidio ei tractui Liguriæ eſſent, quem Malam Spinam vocant, reliquerat. Vnde militari Hiſpanorum more nomen illis à Mala Spina inditum, qui ex præſidijs & ſtationibus cohortibus nomen imponere ſolent. Omnibus rebus ad nauigandum paratis Auria ex Genuenſium portu viginti triremium claſſe Spediam delatus milites, quos euocari iuſſerat, inuenit: eorum ordines hi ducebant, quos paulò antè recenſui, ſub Ferdinando Lupo Luſitano militum Tribuno. His omnibus triremes conſcen-

ſcendere iuſsis nono Calend. Maij Auria Spedia profectus, tribuſque ad Liburnum Tuſciæ portum adiunctis triremibus Coſmi Medicis Florentinorum Principis, quatuorque Iulij III. Pontificis Maximi ad Pyrgos veteres, in quas nulli milites extra ordinem impoſiti fuerant, Neapolim pridie Nonas peruenit. Ibi Garſias Toletus, & Antonius Auria vnà cum Neapolitana claſſe, quæ Cæſaris ſtipendijs merebat, ſe illi adiungunt: octingentis Hiſpanis, quos ex Neapolitano præſidio eduxerant, in tredecim triremes impoſitis, Neapoli biduum Auria moratus Panhormum ſepti-

mo Idus Maij adpulit, auctoque triremium numero decem Siculis, quibus Berẽgarius Requeſentius pręfectus erat, & quatuor Rhodijs: cùm intelligeret Draguthẽ re frumentaria, & commeatibus premi, ſtatuit eò curſum dirigere, quò ratione etiam cogente ipſum recurrere erat neceſſe. Itaq; Panhormo ſoluens quinquagintaquatuor triremium inſtructiſsima claſſe maria circuit, nihil intactum, quò prædoni occurrat, relinquit. Sed neque in his locis, ad quę fama erat ipſum attigiſſe, inquirendo Auria reperire potuit. Hinc in Mauritaniam trãſit, oramq; Africæ præterlegẽs, perſpecto Aphrodiſij ſitu, in Monaſterium quod ab eo millia paſſuum vi-

ginti-

gintiquinq; abeſt, renauigat, quod oppidum firmiſsimo Turcarũ & Maurorum præſidio tenebatur. Id enim Draguthes operam dare, ad id incumbere, totiſq; viribus contẽdere, vt oram illam Africæ occuparet, imperium protraheret, Aphrodiſium arcem regni, caputq; conſtitueret. Eò cùm Cæſarea claſsis appulſa fuiſſet, & Turcę noſtros aquatione prohibuiſſent, Auria & Toletus expoſitis militibus Monaſterium oppugnare cœperunt, atque ſtrenuè ſe defendẽtibus Turcis tormenta educi, muros quati, irruptiones fieri iuſſerunt. Acriter vtrinq; pugnatum eſt, quoad Hiſpanorũ impetum oppidanis nõ ferentibus oppidum captum eſt, & militibus

prædæ datũ. Cæſi ſunt ex hoſtibus circiter trecenti, capti mille & ducẽti, ex noſtris centum quinquaginta partim interfecti, partim vulnerati: in his Moreruela graue vulnus accepit. Hoc detrimentum noſtris illatum eſt, quòd à principio oppugnationem parui duxerant, tormẽtaq; expediri neglexerant, ex quibus aliquot diruptis magnum incõmodum acceptum eſt, nonnullęq; triremes afflictæ, ac primaria Caroli Aragonij Terræ nouæ Principis depreſſa, nihilq; ex ea præter remiges & tormenta reliqui factum. Capto Monaſterio Auria Aphrodiſium oppugnare ſtatuit: ſed antequàm id tentaret, dignum duxit ea de re Ioannem Vegam Prorcgem

gem certiorem facere: qui ex legatione, qua apud Summum Pontificem non minore gratia, quàm auctoritate Cæſaris nomine perfunctus fuerat, Siciliã cum imperio obtinebat: cuius ſingularis prudentia magno rerũ vſu perſpecta, animiq́; magnitudo nemini nõ erat cognita. Dũ hæc in Africa geruntur, Draguthes totam ferè oram Iberici maris percurrẽs, & oppidũ, cui nomẽ eſt Sancto Ioanni, nõ procul ab Alicanto, quod plæriſque Illicen, nonnullis Alon eſſe videtur: & Culleram, quam docti Sucronem putãt, in Valentinorum littore diripuerat, paruumque hominum numerũ, cùm imprudẽteis, inopinanteiſque inuaſiſſet, in ſeruitutem abſtraxerat.

xerat. Inde ad Ebuſum, & Baleares inſulas deflectens, cùm Polentiam maioris inſulæ vrbem de improuiſo ſub quartam vigiliam adortus eſſet, inſulani ſeminudi, correptis armis maiorum virtutis nõ immemores Duce Ioãne Marrada Valẽtino, qui Cęſaris noĩe eas inſulas tenebat, fortiſsimè Turcas repulerunt, recuperataq; præda, multis etiam interfectis eos ad naueis vſque inſecuti tantum cladis Draguthi intulerunt, vt reliqui piratæ, qui id tẽporis ſub ipſo prædabantur, animo conſternati, alius aliò diſcedere, relictoq; eo in ſua ſe quiſq; recipere decreuerint: quòd plus iacturę quã lucri ſe feciſſe intelligerent. At Draguthes nullis caſibus fractus decẽ

& ſeptem nauibus, reliquæ enim iã abierant, Neapolim, Siciliamq́; prę teruectus, cùm Aprodiſium deferri non poſſet, propterea quòd à noſtris hoc tempore obſidebatur, ex alto proſpectabat, ſi quam ex onerarijs nauibus, quibus ex Sicilia frumentum exportabatur, impetu facto interciperet, quo eius diei detrimentum ſarciret. Dũ ad hæc Draguthes animum intendit, conſpicatus quinque triremes, atque exiſtimãs eas reliquas Cęſareæ claſsis anteire, in Meningẽ profugit. Erãt hæ triremes, quibus Ioannes Carolus Sfortia triremium Iulij. III. Põtificis Max. Præfectus, & Philippinus Auria ab Aphrodiſio Neapolim aduehebãtur, vt ea ex vrbe mili-

tes Hiſpanos, ſic enim Vega Auriaq́;, cùm in Africã veniſſent, iuſſerãt, cómeatuſq; & alia ad oppugnationẽ eius oppidi neceſſaria trãſportãda curarent. Interea Auria capto Monaſterio, & Aphrodiſij ſitu diligẽter perſpecto, animũ induxerat oppidũ obſidere, ac nõ, niſi expugnato ipſo, abire. Videbat enim malũ indies ingraueſcere, Draguthi vires creſcere, potẽtiã augeri, neq; è re Cæſaris, & Chriſtianorum eſſe, illic Prædonem imperij ſedem habere. Ob eas cauſas vt ad Guletam eius orę munitiſsimam arcem claſſe venit, quam Cæſar, cùm primum in Africam traieciſſet, pulſo fugatoq; Ænobarbo, expugnauerat, captoque Tunete Mulæium

Hazi-

Hazanium in regnum reſtituerat, conuocatis Præfectis, & Centurionibus, atque in his Ludouico Perezio Varga clariſsimo ac fortiſsimo viro, qui arci præerat, ſententiam ſuam expoſuit, multaque in eam dixit plena conſilij & prudentiæ: qui, cùm ei plerique aſſentirēt, paucis contra ſentientibus, concilium dimiſit. At Garſias Toletus Petri Neapolitanorum Proregis filius, qui in Auriæ ſententiam ierat, ipſum adit, hortatur, vt in ſententia perſtet, pollicetur ſe Reipub. non defuturum: quinetiam ſi vigintiquinque triremes ſibi attribuantur, Neapoli ſupplementum Hiſpanorum, commeatum, & omnia, quæ ad oppugnationem neceſſaria

ceſſaria eſſent, tranſportaturũ. Propterea quòd id, de quo Auria ad omnes retuliſſet, non ità difficile factu eſſe inquirẽdo reperiret, ad hęc intelligeret non parui Cæſaris referre, Prædonem coërceri: neq; decere mare clauſum eſſe: ad portus & inſulas aditum non patere: delẽdam eſſe Chriſtiano populo hanc maculam tot oppidis direptis atq; exuſtis ſuſceptam: dandã operam, ne plus detrimenti Reſpublica caperet: id fieri non poſſe, niſi Aphrodiſio expugnato, ne eò Draguthes ſe recipere poſſet. Toleti ſententiã Auria probat: quod offert, libentiſſimè amplectitur, cumque digniſſimis, vt par erat, laudibus ornat, fidem, integritatem, animique ma-

gnitudi

gnitudinem iam vſque à maioribꝰ partam, & cum maximo rerũ vſu coniunctam pro concione collau dat. Ad hæc Ferdinandum Vegam Ioannis filium ornatiſsimum Equi tem, qui vnà cum Aluaro fratre in ſigne virtutis ſpecimẽ ad Monaſte rium dederat, accerſiri iubet. Quid Toletus promiſerit, exponit, horta tur, vt in Siciliam ad Ioannem Ve-gam patrem literas perferat, eumq́, commonefaciat, vt pro dignitate ſua Reipub. hoc tẽpore deeſſe no-lit, rem perfacilẽ factu eſſe, neque ſe ambigere, ſi huic expeditiõi ipſe adſit, quin proſperũ ſucceſſum ſit habitura. Præterea videret, quantũ Cæſaris & Chriſtianæ Reipub. intereſſet, oppidum illud pulſo Prędo

ne ex-

ne expugnari: quod ſi ita faciēdum decerneret, ea iam tum comparare inciperet, quæ ad tantam rem vſui fore cognoſceret, nihil dum enim comparatum eſſe, Vegamq́ue, vt huius conſilij ignarum, ſumma apparatus omnium rerum inopia laborare Auria ſciebat: propterea quòd, cùm ipſe claſſe Panhormū prætervcheretur, certiorem eum fecerat, nihil magis ſibi in animo eſſe, nihil antiquius ducere, quàm eo anno Draguthem bello perſequi, atq; ei occurrere, ac cum ipſo decertare. Cum his mandatis Ferdinandum dimittit, is in Siciliam traijcit, ex literis, quid in animo Auria haberet, Vega percipit, & quid fieri oporteret, à Ferdinando filio

admo

admonetur. Quibus rebus Vega adductus Ioannẽ Oſoriũ Quignonium cuſtodię ſuę Pręfectũ ad Auriã mittit, vt ex eo, quid fieri vellet, certiùs cognoſceret. Ille ad Larunesias inſulas, quas Canicularias vocãt, paſſuũ viginti millia ab Aphrodiſio ipſi occurrit, quid in mãdatis à Vega haberet, exponit. Auria eadẽ, quæ Ferdinando Vegæ dixerat, repetit. His adiungit, ſe quàm auidiſsimè aduentum eius expectare, tantiq; facere, vt ſibi perſuaſerit omnia, ſi modò ipſe interſit, ex ſententia ſucceſſura. Poſtremò orare, ne tantę rei occaſionem abire ſineret: futurũ vt conſpectu, auctoritateq; tanti viri omnes incitarentur, & militum animi confirmarentur.

Hæc

Hæc cùm in mandatis Oſorio dediſſet, ſtatuit vigintiſeptem triremibus, quas tãtummodo habebat, in Siciliã tranſmittere, vt præſens hac de re cũ Vega ageret, quæ res multum incommodi noſtris attulit. Nam hoc tẽpore onerariæ tres naues ab Alexandria vſque cũ magno propũgnatorum, & commeatuum numero Aphrodiſium ingreſſæ fecerũt, vt non tam facilè oppidum ab Hiſpanis expugnari poſſet. Auria ſimulatque Drepanum applicuit, ſtatim Marcũ Centurionem cum tribus & viginti triremibus Panhormum miſit, vt & commeatus hac claſſe ſupportaret, & Ioannem Vegam dum ipſe vellet, deduceret. Qui cùm intelligeret,

quanti

quāti referret, ne Aphrodiſium in poteſtate Draguthis eſſet, non amplius ſibi cunctādum exiſtimauit, quin cōfeſtim omnia ad profectionem compararet. Itaq; duabus nauibus re frumentaria, & commeatibus onuſtis, & Ferdinando filio Siciliæ Proprætore relicto, cui mandauit, vt magnum numerum eius panis, quo nautæ vti ſolent ad vſus diuturnitatem excocti, & pulueris tormentarij, & aliarum rerū, quas noſtris vſui futuras intelligeret, cō ficiendum curaret, vt ſi res vrgeret, omnium copia ſuppeteret, triremes conſcendit, & ad decimum Calend. Iulij Drepanum prouectus Auriam ſimul & Toletum inuenit. Qui eo die Neapoli reuer-

ſus, ſeptem Hiſpanorum cohortes, præter tormenta, puluerem, plumbum, materiam, & id genus alia aduexerat. Erant hi milites veterani, quorum opera & virtus multis variisque bellis Cæſari explorata erat: quibus ſub Ferdinando Toleto militum Tribuno prępoſiti erãt Ioannes Mendocia, Bernardinus Corduba, Melchior Zumarraga Segouienſis, Alphonſus Pimentellus, Petrus Belcazar, & Brizenius: his accedebant, qui ſub Ferdinando Lupo Tribuno ſtipendijs merebant. Aluarus Vega & Bernardus Solerius duabus cohortibus præerant, quæ etiam ex Siciliæ præſidijs deductæ ad Monaſterium pugnauerant: quibus adiunctæ erant

aliæ duæ, quas Vega ex his militibus conſcribi curauerat, qui plenis in Inſubria & Neapoli cohortibus, in Siciliam, vt ſtipendia facerēt, trāſierant: hos Ferdinandus Sylua & Petrus Acunia ducebant. His quindecim Hiſpanorum cohortibus adiecta fuerat centuria vna Græcorum, quos eius gentis Cēturio quidam vir fortis, permittente Vega, delectu habito conſcripſerat. Erāt extra ordinem amplius ducēti Milites ordinis Hieroſolymitani, partim Germani & Hiſpani, partim Itali & Galli: neque alij ſunt admiſſi, his exceptis, qui in triremibus merere ſolent. Omnibus rebus ad expeditionem conſtitutis nacti ſecundum ventum triremes conſcē-

dunt,quarum numerus erat quinquaginta trium. His nonnullæ Liburnicæ & actuariæ cũ tribus onerarijs acceſſerant, ex quibus vna vino onuſta ex portu educta fuerat. Hac claſſe in Æthuſam,quæ nunc Fauiana appellatur, delati Aphrodiſiũ die tertio, is fuit ad ſext. Cal. Iul.quo Drepano ſoluerant,peruenerunt, conuenitq; inter omneis, vt poſtridie eius diei Vega milites in terram exponeret,dupliciq; acie inſtructa in oppidum contẽderet, locumq́; caſtris idoneũ deligeret: Auria verò rebus maritimis præeſſet,easq́; adminiſtraret.Poſtero die Vega,qui ſummam imperij pedeſtrium copiarũ tenebat,milites exponit, aciem inſtruit, & in oppidũ

cõtendit:

cõtendit: dextrũ cornu Toletus tenebat, id ex veteranis erat, quos ex Neapolitano præſidio eduxerat. Siniſtrum, cui Vega præerat, ex his cohortibus erat, quæ ex Inſubria fuerant euocatæ, atq; ex Siciliæ pręſidijs deductæ: claudebant agmen Hieroſolymitani Milites excellẽti virtute Duce Bernardo Chimerano Barcinonẽſi nobiliſsimo & fortiſsimo viro. Vbi paulũ proceſſum eſſet, Vega aciem conſiſtere, milites eum locum vallo foſſaq́; munire iuſsit, in quem frumẽtum, commeatus, & res bellicæ omnes ex claſſe educi, tutoque reponi poſſent. Quod opus ſumma militum alacritate ac ſtudio quatuor horarum interuallo perfectum eſt. Hîc

Bernardo Solerio cum vna cohorte, vt ei munitioni præſidio eſſet, relicto, rurſus acies progredi, ac monticulum, qui ex aduerſo erat, petere cœpit. Intereà ex oppido ingens hoſtium manus ſeſe porta, de qua dictum eſt, vt Hiſpanos munitione prohiberet, effuderat. Hi cùm militibus tormentarijs, qui primum agmen præibant, occurrerent, leuia prælia cum eis facere cœperũt. Noſtri nihilo ſecius pugnando pergere, dum in monticulum venirent, qui aberat ab eo loco, quo ex triremibus egreſsi erãt, paulominus octingentis paſsibus: cui cùm ad iactum manualis tormenti appropinquarent, Vega, qui pedes ſimul cum Claudio Sanglio

Gallo Rhodiaũ triremiũ præfecto inprimã aciem proceſſerat, videns prælium redintegrari, oppidanos magno concurſu eò contendere, ipſiſq́ue animos adaugeri, Moreruelæ & Oſorio imperat, vt cum ducentis tormentarijs, quos ex eadem acie eduxerat, ad monticulũ properè accurrerent, locumq́ue caperent. Quo illi nullo negotio potiti ſunt, propterea quòd hoſtes magno impetu occurtentibus noſtris, ſeſe intra oppidum receperunt. Occupato monticulo ab his, quos Vega pręmiſerat, ſine vllo impedimento eò peruentum eſt, ibiq́ue caſtris poſitis, Toletus cũ ſuis eam partem tenuit, quæ quàm maximè fieri potuit, oppido proxima

erat:reliquum montis Vega homi nibus armatis compleuit: id oppidani muralibus tormentis prohibe re conati parum incommodi noſtris intulerunt. In ſequenti die milites caſtra munire, vallo foſſaq́; cin gere, frumentum, commeatus, tormentaque & impedimenta ipſa, omnemq́; bellicum apparatũ ex triremibus educere magno ſtudio cu rãt. Triduo in ea re cõſumpto, quar to die Ludouicus Perezius Vargas, qui cũ ea trireme, quã Auria ad Guletam reliquerat, ſtatim vt Cęſarȩa Claſsis appulſa eſt Aphrodiſiũ venerat, oppidum explorare, locũq; deligere, vbi tormenta bellica collocarentur, conſtituit. Dum hæc diligenter perſpicit, eruptione ab oppidanis

pidanis facta, parum abfuit, quin telo miſsili tranſfigeretur. Sed Vega & Toleto, qui nõ longè aberãt, ſuppetias ferentibus, incolumis in caſtra reuertitur, nonnullis tamen ex noſtris ſauciatis, in his Belcazare Centurione globulo tormentario, qui ex vulnere paucis pòſt diebus interijt. Poſtero die Vega ſub noctem bellica tormẽta duplici ordine collocari iubet, altero decem & nouem ingẽtia in editiore loco, qui aberat à muro circiter quadringentos paſſus: altero octo minora, paſsibus paulò minus trecẽtis. Laudandũ fuit hoc tempore ſingulare militum ſtudium, qui cùm perpaucos haberent calones & ſeruos, ijs perinde ac vicarij ſuccedebant eo-

rumq́; parteis ita ſuſcipiebant, vt nec interdiu, nec noctu ab opere ceſſarent: tantumq́; labore & induſtria ſua efficerent, vt perfectis munitionibus, milites non plus centũ paſsibus à muro commodè tutoq́; in ſtationibus eſſent, nihilq́; à manualibus tormentis, quorum magnavis in oppido erat, timerẽt. Dũ hæc ab Hiſpanis fiũt, hoſtes ex oppido erumpunt, & ad munitiones vſque progreſsi coniectis telis, per paucos ex his, qui operi erãt deſtinati, vulnerãt, ſeq; ad ſuos recipiũt: rurſus breui interiecto ſpacio, magno cõcurſu irruũt, ſed fortiſsimè à noſtris propulſi, multis eorũ interfectis & ſaucijs, in his quodam Turca, qui & virtutis & generis

ſumma

ſumma nobilitate cæteris Præſta-
bat, ſe aliquot dies oppido cōtinēt.
Eodem die, quod memoriæ prode
re dignißimum eſt viſum, Ioãnes
Soſa Luſitanus inſignem laudem
retulit: qui ſoluto tormento, quo
manu vtebatur, vnde milites tor-
mentarios vocamus, Turcarum in
ſolentiam & audaciam nõ ferens,
diſtricto gladio, ſportula ſiniſtra
manu pro clypeo arrepta ex muni
tionibus deſiluit, atque in eam par
tem, quæ confertißima viſa eſt, ir-
rupit, tantoq́; impetu hoſtes inua-
ſit, vt terga vertere, compluribuſq́;
vulneratis, ipſos regredi, quà exie-
rant, cõpulerit, incolumiſq́;, altero
tamen femore leuiter ſaucio, in ca-
ſtra reuerſus, à Vega eſt collaudatus
dupli-

dupliciq́; ſtipendio, aureiſq́; donis amplißimè donatus. Intereà dum hæc leuia certamina fierent, complures globi in murũ conijciebantur, partim his tormẽtis, quæ in editiore loco, partim alijs, quę propiùs ab oppido diſpoſita erãt. Quin Hiſpani milites, cùm in agros excurrerent, quotidianis penè prælijs cũ Numidis, quos Arabes vocant, decertabant, neq; ea intermiſerũt, donec de ineunda ſocietate cũ Hametalpha agi cœptũ eſt. Cuius pater Cidiarphus, cùm quædam de Machometana ſecta, ſiue potiꝰ impia fraude immutaſſet, nonnullaq́; inueniſſet, atque in ea inſtituiſſet, regnũ in ciuitate ſua occuparat, omninoq́ue à Tunetenſibus, ſub quorũ erat imperio

perio, defecerat. At Hametalpha, defunctoiam patre, potentior factus, vt ſunt mortalium res, ſe eius ciuitatis, quæ Carruanum dicitur, Regem appellauit, habuitq́; tunc ſub ſignis cùm Aphrodiſium obſideretur, ad quindecim Arabũ millia. Neq; parum momenti ad eam rem, vt is cum noſtris fœdus percuteret, Mulæi Hazanij Tunetenſiũ Regis aduentus fuit, qui ab Hamida filio effoſsis oculis, regno pulſis in Germaniam ad Cæſarem confugerat, atq; inde in Siciliam ad Vegam miſſus cum eo Aphrodiſium venerat. Vargas etiam Hametum Hazanium Regis filiũ & Xariſum Maurũ ſpectatæ inter ſuos fidei, & ſummæ auctoritatis hominẽ ex Guletana

letana arce adduxerat. Qui cũ Hametalpha ita prudenter egit, vt magno noſtris emolumento fuerit. Nam octauo die, quo Cæſarea claſſis Aphrodiſium appulſa eſt, circiciter bis mille & quingenti Arabes Tunetis, & Caruani Regum ſocij in caſtra venerunt, pecoreq; & alijs cõmeatibus noſtros iuuerunt, quorum Præfectis Vega magnam copiam frumenti, vt inter ſuos diſtribueretur, metiri iuſsit. Qui cùm id eſſet anni tempus, quo frumentum conquirere, coẽmereq́ue ſolent, & quòd natura leues, fideq, parum integra ſunt, decem dies in caſtris cõmorati, ne vlla quidem ſui reddita ratione diſceſſerunt. Interim Mauri, qui erant in agris, cũ noſtris, quo

ties

ties lignatũ irẽt, leuibus prælijs cõtendebãt: ſed parũ, niſi nautis, & calonib⁹ officiebãt, atq; adeò his, qui temerè caſtris excedebãt. Fiebat autẽ lignatio ex vetere olueto crebris arboribus condenſo, quod à caſtris paulò plus mille paſſuũ aberat. Sub idem tẽpus Mulęius Hazanius Tunetenſiũ Rex in grauẽ incidẽs morbum deceſsit: cuius corpus poſcẽte ad ſepulturã Hametalpha Carruanũ à Vega miſſum regia põpa elatũ eſt, atq; in fano ex ritu patrio repoſitũ. Quinq; etiã triremes, quas ſupra cõmemoraui, Nęapoli reuerſę tãtũ quadringẽtos milites Hiſpanos, quib⁹ præfectus erat Orihuela Valẽtinus, & ea quę ad cõficiendũ tormẽtariũ puluerẽ erãt neceſſaria,

tran-

tranſuexerunt. Cigala verò Genuẽ
ſis, qui ſub Cæſare merebat, ex Gu
letana arce, ad quam cum duabus
triremibus miſſus fuerat, tormen-
ta quatuor bellica, & magnum nu
merum tormẽtarij pulueris & glo
borum ſupportarat. His rebus effe
ctũ eſt, vt oppugnatio redintegra-
retur, longèque maior globorum
vis in murum emitteretur. Sed nec
ita res ex ſententia ſucceſsit, etiam
ſi noſtri continuos octo dies à con
cutiendis muris nunquam deſtitiſ
ſent, eò quòd firmiores eſſent, quã
ab initio oppugnationis arbitrati
fuerãt, ita calce ac cæmẽtis, aliaq́ue
peruetere materia extructi, vt di-
ctu haud facile ſit, quàm laborioſa
difficiliſq́; eorum demolitio eſſet.

Erat

Erat magno noſtris impedimento murus, qui altitudine duodecim pedum, quinque & viginti paſſus in longitudinem ab altero aberat, quem interiorem dixeramus, Hoc autem ſpacij, quod ab vno ad alterum murum pertinebat, diligentiſmè à Turcis aſſeruabatur. maximeque communiebatur, perducta inter vtrunq;, vt ſuprà demonſtratũ eſt, altiſsima foſſa, adiectis etiam à laterib' propugnaculis: quò fiebat, vt arduus aſcenſus eſſet, neminiq; ad irrumpẽdum niſi ſummo cum vitæ diſcrimine pateret. Dum hæc vtrobiq; geruntur, ex duobus perfugis, quorum alter ex Guleta metu Vargæ profugerat, ne perfidiæ, quòd à Chriſtiana religione defe-
 cerat,

cerat, pœnas lueret, cognitum eſt oppidanos ſedulò operam dare, totóque animo, totiſq; viribus adniti, vt murum, qui bellicis tormentis diſcutiebatur, aggeribus, foſsiſque introrſus munirent: omnẽ ætatem, omnem ſexum laborare, ad id incumbere: quicquid interdiu deijceretur, de nocte expurgare, ac reficere: nullum à labore tempus intermittere, quò paratiores, firmioreſque in hoſteis eſſent. Poſtremò centum & quinquaginta Turcas & Mauros in ipſo pomœrio, occluſa oppidi porta in armis excubare. Hoc cùm Vegæ renũciatũ eſſet, cõuocato concilio, quid ex perfugis comperiſſet, proponit. Nonnulli, quorum prudentia, reique bellicæ

vſus

vſus erat ſingularis, irrumpendum non eſſe exiſtimabāt, quòd ea pars, qua nonnihil muri deiectum erat, difficili arduoq́; aſcenſu eſſet, neq; decere, niſi ſumma vis adigeret, milites periculis offerri, neq; eorū ſanguine abuti debere, qui maxima cum laude tot bella Cæſari cōfeciſſent: ſatius ſecuriuſq́; eſſe ſexcentos milites in pomœrium irruptionem facere, ac ſi fieri poſſet, ad internecionem excubitores cædere, ſcaliſq́ue muro admotis, eā turrim. quę à latere ſiniſtro in occidētē ſolē ſpectat, occupare: cuius bona pars frequētibus tormentis diruta iam eſſet, videreturq́ue omnino ab oppidanis deſtituta, ꝙ nulli tormētarij globi ex illa, ſicuti ex alijs

in caſtra emitterentur, neque vlli in ea propugnatores, vt anteà apparerent. Quòd etſi magna ex parte his aſſenſum eſt, tamen non defuerunt, qui ſentirent non eſſe hęc ſimul aggredienda: eos magnum diſcrimen ſubituros, qui occiſis pomœrij cuſtodibus, demolitionem etiam muri perſpicerent: periculũ eſſe, ne ſi irruptio noctu fieret, peſſimè noſtris cederet. At Vargas, qui ſcientia militari longo bellorũ vſu parta clariſsimus habebatur, cenſuit ſub quartam vigiliã irruendum eſſe, idque multò tutius commodiuſque fore, multis magniſque argumentis perſuaſit. In cuius ſententiã, cùm ab omnibus itũ eſſet, Vega ſtatuit, vt tres ſigniferi cũ

trecentis militibus abſq; ſignis pomœrium irrumperent, excubitoreſq; iugulandos curarent, & Zumarraga vir manu promptus, cum quinquaginta ex ſuis murum, qui globis tormentarijs concuſſus fuerat, interim exploraret. Pimentellus verò cũ ea cohorte, quã ducebat, ſimul cum illis impetu facto, ſcalis muro admotis, eam turrim, de qua paulò ante dictum eſt, caperet: ſed hæc res à noſtris fruſtra tentata, infelicem exitum habuit. Nã ab his, qui in ſtatione erãt, fortiſsimè ſunt repulſi, quinq; ex noſtris interfectis, in his Pãtoia Brizenij Cẽturionis ſignifero, & vno aut altero capto: lõgeq; maius incõmodũ acceptũ fuiſſet, niſi milites, ſigno

recipiendi dato, conſtitiſſent, ſeq; in caſtra contuliſſent: vſque eò foſſa & propugnaculis intra pomœrium Turcæ communiti erant, vt nulla vi perrumpi poſſent. Qui abſciſsis hoſtiũ capitibus, & in haſtis ſuffixis ſuper muro, vt è caſtris cõſpicerẽtur, trophæum ex eis ſtatuerunt. Poſteaquã Vega murũ adeò munitum, aſcenſuq; perdifficilem eſſe vidit, neque oportere eò irruptionem facere, ac nihil earum rerum ſuperare, quæ ex Neapoli, Siciliaq; & Guleta ad diſcutienda demoliendaq; mœnia deportatæ fuerant, conſtituit, vt ſine mora Antonius Auria vir & conſilij magni & auctoritatis in Siciliam cum decẽ triremibus traijceret, diligenterq;

operã

operãdaret, vt ex edicto, quod ipſe iam præmiſerat, magnũ numerum commeatus, & bellicarum rerũ ex ciuitatibus, oppidis, arcibuſq; muniti ſsimis cogeret, atq; his in vnũ locum cõtractis, & in triremes im poſitis, quàm celerrimè Aphrodiſium renauigaret. Quod ab eo nõ minore cura, ac diligentia, quã prudentia præſtitum eſt. Nã præter id, quod ipſi impoſitum fuerat, cohortem etiã vnã Hiſpanorũ adduxit, quam Ioannes Guzmãnus ex Ferdinãdi Vegæ Proprætoris ſentẽtia conſcripſerat. Marcus etiã Cẽturio, cum alijs decem triremibus ab Auria Genuam eſt miſſus, vt ex Inſubria ſupplementũ, puluerẽ, glãdes tormẽtarias aſportaret. Id cùm ex

Auriæ literis intellexiſſet Ferdinã dus Gonzaga Princeps Molphetanus rerũ geſtarum gloria, & generis ſplendore illuſtris, & maximus Inſubrum Præfectus, quiq; in reliqua Italia ſummam imperij militaris tenebat, iuſsit tres Hiſpanorum cohortes, quib9 Hieronymus Mãricus, Ioannes Solizius Pacenſis, & Antonius Morenus præpoſiti erant, triremes conſcendere, adiuncta etiam ea cohorte, quam poſtea Vega Gaſpari Guzmanno ducendam dedit. A Genua & Luca, itemq; Florentia ingens pulueris tormentarij, ac reliqui apparatus bellici vis aduecta eſt. Interim ex Sicilia cõmeatus, ligna, & cætera materia, quarum rerũ vſus noſtris

pluri-

plurimum contulit cùm in muniẽdis caſtris, tum in machinis faciendis ſolo præſertim ſabuloſo, nauibus onerarijs ſupportabatur. Antonio Auria & Centurione profectis Vega ab Hametalpha certior factꝰ Draguthem pedeſtribus copijs oppidanis ſubſidio venire, caſtra contrahit, multoq; anguſtiora facit, vallis & aggeribus communit, campeſtria tormenta in his diſponit, perducta ab ea parte foſſa, quę ſub mõte in occidentẽ ſolem ſpectat, quã etiam ipſe obtinebat, patebatq; in latitudinem ſexcẽtos paſſus: frons verò, quæ è regione oppidi erat, paulò plus ducentos: totidem vtrũque latus, quod mare complectebatur, in longitudinem habebat.

Toletus id loci, quem ipſe cũ ſuis in planitie tenebat, quiq; à frontis vallo, vbi milites in ſtatione erant, non amplius quadraginta paſſus aberat, intra quem etiam tormenta bellica, quibus globi in murum emittebãtur, ſuis quæque cratibus & loricis collocata erant, tribus ex partibus vallo & foſſa in ſpiræ ſpeciem circunduxerat: reliqua verò pars à mari, quæ ad Meridiem vergit, patebat. Erat oliuetũ, vt ſuprà demonſtrauimus, ex quo lignatio fiebat, & magnum vſum ad eas munitiones cõficiendas noſtris ſuppeditabat, non procul à caſtris, ſed nihilominus leuia prælia inter lignãdum conſerebantur: quòd Mauri lignatione Hiſpanos prohibere co

narentur. Quibus vndique concurrentibus, & noſtris ad vndeci. Cal. Aug. lignationem facientibus, acriùs vtrinque quàm ſuperioribus diebus pugnatum eſt. In eo prælio Aluarus Vega, cùm ab acie ſimul cum aliquot tormentarijs militibus cupidiùs hoſtes inſecutus aliquantum proceſsiſſet, in ſummum diſcrimen venit: in quem ſi frequẽtes hoſtes irruiſſent, ne ſubueniri quidẽ ei ab his, qui in primo agmine erant, nedum ab alijs potuiſſet. Quod ægreferens Vega pater, grauiterque filio ſuccenſens, ſtatuit primo quoque tempore vnà cum militibus lignatum ire. Is dies erat Iacobo Apoſtolo Hiſpanorum Præſidi ſacer, quo neceſſe erat ag-

geris petendi cauſa in oliuetum ire, quo etiam die multò maior numerus peditatus & equitatus hoſtium in agris, quàm proximis diebus fuerat viſus. Id cùm Vegę nunciatũ eſſet, tres cohortes ex caſtris producit, & quia admodum erant diminutę, ꝙ vulneribus, & morbo complures impedirentur, ex alijs ſupplendas ſibi exiſtimauit. Erant milites numero circiter octingenti, his adiũgit calones, & ad ſeptuaginta Siculos, qui extra ordinẽ militabant, eos Vega conuenire iuſſerat, vt caſtris, cùm res poſceret, vſui eſſent. His conſtitutis, Garſiam Toletum cũ reliquis cohortibus præſidio caſtris relinquit, acieq; inſtructa, & Siculis, vt calones ſubleuarent,

rent, ſine armis ſubſequi iuſsis, in oliuetum contendit. Claudebant aciē ab vtroque latere aliquot tormentariorum manipuli. Ac cùm iam in conſpectum olíueti cohortes leniter venirent, hoſtes ſe oſtendere, ſub primum agmen ſuccedere, noſtroſq́; prælio laceſſere cœperunt. Vega milites cohortatus, vt hoſtium impetum fortiter ſuſtinerent, pugnandoq́; iter facerent, cōmittendi prȩlij ſignum dedit. Mauri paulatim cedere, noſtroſq́; eò, vbi collocatæ erant inſidiæ, vt circunuentos aggrederentur, elicere ac protrahere. Et cùm nō longius ab olíueto, quàm quo telum adijci poſſet, abeſſent, Vargas, qui eo die dextro cornui præerat, cupiditate

Mauros inſequendi ductus cum tormentarijs, qui in eo erant latere, plus quàm oportuit, proceſsit. Sed illi identidem in oliuetum ad ſuos ſe recipere, & rurſus in noſtros impetum facere. Cùm eò peruentum eſſet, ingreſsis noſtris, ac calonibus, & Siculis ramos ſuccidere, & ab opere, ne in ipſa quidem pugna deſiſtere à Vega iuſsis, ſubitò hoſtes ex valle, quæ ab oliueto cẽtum quinquaginta paſſus aberat, vbi abditi latebant, omnibus copijs prouolarunt ad numerum quinquies mille Turcarũ & Maurorũ: ex quibus, vt ex Rhuſpenſibus poſteà cõpertum eſt, octingenti erant tormentarij, ac ſagittarij, & equites ducenti, qui cõfertiſsimo agmine noſtros

ſtros ab vtroq; latere aggreſsi, cùm primum continenti glandiũ emiſſione excepti fuiſſent, paulùm conſtiterunt: deinde vnà cum equitatu aperto latere magis magisque inſtare, ac cohortes circũuenire cœperunt. Et quanuis fortiſsimè noſtri hoſtibus reſiſterẽt, impetumq; ſuſtinerent, tamen quòd ea pars ijs tormẽtarijs eſſet nudata, quos Vargas eduxerat, maximè premebantur. At hi, quorum virtutis opinio erat ſingularis, aduerſis hoſtibus occurrebant, ſuisque præſidio erant, ac fortiſsimè cadebant. Vega cùm à ſiniſtro cornu milites eſſet cohortatus, ad dextrum incredibili celeritate decurrit. Illic enim milites vrgeri, penè circumuentos

teneri,

teneri,curſu ac laſsitudine ferè ex-
animatos, vulneribusq; cõfectos:
& Palomarium Ferdinandi Lupi
Tribuni ſigniferum cum alijs ſep-
tem fortiſsimis viris interfectum,
remq; propè conclamatam eſſe au
dierat. Ibi vt vidit hoſtes eò acriùs
inſtare, ac concurrere, quòd quaſi
partam iam & exploratam victo-
riam putarent, cum ea armatorum
manu, quam cuſtodiæ cauſa duce-
bat, ita Turcarum vim repreſsit, vt
milites ſeſe colligere, ac pro ſe quiſ
que in conſpectu ducis, redintegra
to animo ſtrenuè operam nauare,
impetumq; hoſtium non ſolùm ſu
ſtinere, ſed retardare etiam, ſignaq;
inferre cœperint. His receptis atq;
animo confirmatis, dextroq; in la-

tere collocatis Vega rurſus in ſini-
ſtrum cum ſuis aduolat, id complu
ribus tormentarijs communit, ho-
ſtes pellit, multisq́; conciſis, agge-
rem, quem ipſi fecerant, capit. Ibi
nonnullos tormentarios diſponit,
vt tutiùs in hoſteis tela conijceret,
reliquos in prima acie collocat. Ac
prælio ſic renouato tanta vtrinq́ue
tormentariorum, & ſagittariorum
contentione pugnatum eſt, vt ad
interuallum vnius horæ ab emit-
tendis vltro citroq́; glandibus nun
quàm ſit ceſſatum. Eodem tempo
re Vargas, qui tormentariorũ ope-
ra impetum hoſtium à læuo cornu
repreſſerat, propterea quòd no-
ſtros maximè vrgebãt, dum eis ad
dextrum laborantibus ſubſidio ve

nire accelerat, ſiniſtro latere tormẽtaria glande traiecto cecidit, receptusq́; à ſuis, atque in caſtra delatus, vniuerſum exercitum mul o mœrore affecit, magnumq́; ſui deſiderium reliquit. Fuit certè maximo noſtris incõmodo tanti viri & quidem fortiſsimi, ac rei militaris peritiſsimi amiſsio. Interim dũ pugnabatur, calones & Siculi magnã materiæ copiam ſucciderant, neque enim hac re ab hoſtibus prohiberi vnquàm potuerunt, tanta fuit & Ducis virtus, atq́, animi pręſentia, & militũ robur, vt eodem tempore ſimul pugnarent, & lignationem tutò fieri curarent. Interea oppidani non eorum ignari, quæ ad oliuetum gerebantur, ex oppido

erumpunt, in caſtra prouolant, ad munitiones accedunt, & tela in noſtros conijciunt. Toletus milites ad arma concurrere, vallum conſcendere, ac complures globos bellicis tormentis in hoſtes emitti iubet, qui celeriter in oppidum reiecti tantum detrimenti acceperunt, vt ab eo die nullis vnquàm poſtea copijs eruptionem in caſtra facere tentarint. Vega, interfecto ab hoſtibus Varga, qui ſtrenuè ipſi operam nauarat, magnoque auxilio fuerat, nulla in re deeſſe, omnia obire, & quid quoq; loco faciendũ eſſet, prouidere, & Ducis in cohortãdis militibus, & in pugnando Militis officia præſtare, nullum tempus intermittere, vt communi omniũ

ſaluti proſpiceret: præmiſsiſq; calonibus, & Siculis cum ea materia, quæ, cùm dimicaretur, ſuccisa fuerat, acie inſtructa, nouiſsimoq; agmine tormentarijs communito, atque pro his quibus tormentarius puluis & glandes deerant, alijs ſuppletis, in caſtra reuerti cœpit. Hoſtes verò inſolentiùs audaciuſq; cõcurrere, noſtros ex nouiſsimo agmine premere, ſublatiſque clamoribus inſequi. At Vega à prælio milites continere, ac ſatis habere, Turcis Mauriſq; reſiſtere, aſsiduaq; glãdium emiſsione impetum eorum ferociamque comprimere. Interea Toletus cùm ex calonibus & Siculis, qui materiam ſupportauerant, cognouiſſet, quo in loco res

eſſet, quantoque in periculo & cohortes, & Dux verſaretur, nihil ad celeritatem ſibi reliqui faciendum duxit: ſed cum expedita armatorũ manu ad mediũ iter militibus occurrens non parum eos ſubleuauit, eò quòd tunc ab hoſtibus maximè premerentur. Et quãquam eius aduentu ſubſiſtere, ac ſe recipere hoſtes viſi ſunt: nihilo tamen ſecius, quòd perpauci eſſent milites, qui iam tormentis vti poſſent, cùm tormentarius puluis, & glandes omnino deficerent, rurſus inſtare, atque eos, qui in nouiſsimo agmine erant, vrgere, cũ his decertare magniſque vociferationibus ad vallum vſque procurrere. Sed à tormentarijs propulſi, qui præſidio caſtris

erant relicti, pedē re tulerunt, atq; illò vnde egreſsi fuerāt, magno cū detrimento reuerterunt. Ei prælio Draguthē interfuiſſe, ac cum duobus Præfectis ſeptuaginta Turcas circiter ducentis vulneratis amiſiſſe, atq; in Meningem ſe contuliſſe ex his cognitū eſt, qui triduo, quo prælium eſt commiſſum, Carruano venerunt. Quę ciuitas eſt in mediterraneis poſita, ac totius Africæ longè maxima opulentiſsimaq́ue præter Tunetem eius Prouinciæ principem, abeſtq́ue ab Aphrodiſio millia fermè paſſuum triginta ſex. Tum etiam illi noſtris nunciauerunt equum Draguthis fuiſſe in pugna vulneratum, ſarcinasq́ue & impedimenta ab ijs in itinere direpta,

repta, quos ipſe à Rhuſpis, quas nunc Alfaques appellant, in auxilium euocarat. Eo die ex noſtris nõ minus triginta ſauciati, & quatuor decim occiſi ſunt. Vega etiam, cuius ſingularis opera, prudentia, & excellens virtus, itemq́ue rei militaris ſcientia cùm in alijs, tum hoc potiſsimùm prælio enituit, noſtrisq́ue ſubſidio ac ſaluti fuit, leue vulnus in altero pede accepit. Quo Duce Hiſpani milites, ſuprà quàm dici poteſt, ſi vnquàm aliàs eo die depugnauerunt, exiguisq́ue copijs ingentem hoſtium numerum nõ modò fortiſsimè ſuſtinuerunt, ſed compluribus etiam conciſis propulerunt, factaq́ue lignatione paucis ex ſuis deſideratis

incolumes in caſtra redierunt. Hoc prælio facto Draguthes magnā iacturam dignitatis & honoris fecit: multum etiā de exiſtimatione ſua, qua plurimùm cùm apud alios, tū maximè apud Hametalphā Regē valebat, deperdidit. Qui ſtatim vt reſciuit ipſum ab Hiſpanis fortiſsimè acerrimeque, magnis etiam illatis detrimentis, reiectum fuiſſe, nihil antiquius habuit, quàm vt per Legatos fœdus cū eis iceret. Qua re facilè impetrata, ſedulò operam dedit, vt pecore atque alijs cibarijs exercitus abundaret, atque ex vicis finitimis & agris, quibus ipſe imperabat (latè enim iam illo tempore non ſolùm in ciuitate ſua, ſed etiam in Byzacio, quam

regio-

regionẽ tenuerunt olim Libyphœnices, dominabatur) meleàgrides, oua, caryotides, & id genus alia in caſtra deportarentur: quam rem Mauri ſumma cum celeritate exequebantur. Nam præterquã quòd ex animi ſententia omnia illis dependebantur, nonnihil etiam eius panis, quo nautæ vtuntur, vt famẽ, qua tunc ea prouincia maximè laborabat, tolerare poſſent, reportabant. Quę res cogebat magnã Barbarorum turbã, vt aliquid à noſtris extorquerent, in caſtra confluere. Intereà Vega dum triremes expectat, nihil non mouet, omnia tentat, cuniculos vineaſq; , vt pomœrio Turcas depellat, agi præcipit. Sed cùm Ferdinandus Molinus ar-

chitectus, & machinator excellēs cuniculos iā prope pomœriū egiſſet, tormentaria glande ſecundum frontem ictus fecit, ſcaturiēte etiā in aperiēdis cuniculis magna aquarum vi, ne longiùs procederetur. Itaque cùm cuniculi eo interfecto minus ſuccederent, & in concutiēdis mœnibus à continenti parum proficerent, quòd ibi muri eſſent quā munitiſsimi, viſum eſt Vegæ eam rē à mari tētare ac periclitari. Id etiamſi Auria & Toletus probarent, tamen perdifficile factu eis videbatur, pręcipuè cùm triremes ad eum locum conſtitui non poſſent, vnde commodè in murum globi emitterētur, quòd illic mare breuibus eſſet impeditum: quòd ſi id fieri poſ

ri poſſet, tamen tormentis murali-bus multum incommodi noſtris il latum iri, quorũ tantus, poſtquàm pomœrium irruperãt, timor inceſ-ſerat, vt ea ſtudioſè diligenterq́; vi tarent. Præterea in hanc ſententiã omnes venerãt, vt exiſtimarẽt per-quàm difficile, parumq́ue firmum fore, murum ex triremibus tormẽ-tis concuti, neque id poſſe commo dum aditum ad irruptionem face-re. In tãta rerum difficultate Tole-to ea machina in mentem venit, qua olim ad Meſſanam in ludicro certamine nauali vſus fuerat. Itaq; non amplius ſibi cunctandum du xit, quin e veſtigio periculum face ret. Huius machinationis hęc fuit ratio, duplices triremes, malis & arma-

armamẽtis remotis, à lateribus cõ iũgebat, & è regione muri colloca bat, quaternisq́; anchoris ex angulis, ne fluctibus mouerentur, diſtinebat. Eas firmo ac perualido tabulato, contegi iubet, vt octo bellica tormenta maiora ſuſtinere cõmodè poſſent. Hæc ad latus quod contra murum erat, diſponit, crateſq; & pluteos à puppi ad proram inter aggeres ſic addit, vt è tormentarijs feneſtris, quas inſtruendo reliquerat, tuto globi tormentis ipſis conijcerentur, & triremes ſimul cum machinatione facilè agi, eoq́; appropinquare quò ipſe vellet, poſſent. Quod herclè opus noſtri meritò admirati, ac ſummis laudibus, vt par erat, proſecuti, in maximam

certiſ

certiſsimamq́; oppidi capiendi ſpẽ venerunt. Qua in re Garſias Toletus, vt in cęteris, quæ in expugnã do Aphrodiſio acciderunt incredibili celeritate vſus demonſtrauit, quantum cõmoditate & animi magnitudine, atque rei bellicæ ſcientia polleret. Per idem ferè tempus Antonius Auria ex Sicilia reuerſus tantam commeatuum, & bellicarum rerum copiam triremibus conuexit, vt continuò Vega globos in murum tormentis mitti animũ induxerit. Itaque omnibus rebus interuallo ſex dierum, quæ ad oppugnationem vſui erant, cõparatis, duo & viginti tormenta maiora circiter ducentos paſſus à muro, atque alia paulò longius ad de-

turban

turbandos hoſteis ex propugnacu lis collocat. His ſic diſpoſitis Andronicũ Spinoſam, qui multo vſu & peritia rei tormentariæ cæteris antecellebat, quem etiam ex Sicilia euocauerat, præficit: huic Franciſcum Viuerum adiũgit, qui quatiendis antea mœnibus operam nauarat. Ac quinto Cal. Septemb. eã turrim, quę à mari ad portam erat, quæq; in occaſum ſolis & auſtrum ſpectat, atque alteram à terra huic proximam tanta tormentorum vi quati iubet, vt eo die vtraque turris cum muro deturbari viderentur. Sed ea firmitudine erant, vt parum his noceri potuerit, quanuis continenter vndecim dies tormentis concuſſæ fuerint, atq; in eam tã-

tummodo turrim, quã ad occaſum ſolis & auſtrum poſitam diximus, quatuor millia, & octingenti globi emiſsi, in alias verò ac mœnia, donec oppidum captum fuit, ad ſepties mille. Verũ ea oppidanorũ cura erat, vt quantum noſtri foris cõcuterent, ac deijcerent, tantum illi introrſus fulcirent & reficerent. Quo fiebat, vt nullus irruptioni locus eſſet, & oppidani ex muro noſtros irridere, ac contumelijs probriſq; vexare nõ deſinerent. Tertio die, quo tormentis globi in murũ conijciebantur, Marcus Centurio cũ triremibus ab Liguria reuerſus, maxima noſtros lætitia affecit, propterea quòd Alphõſum Gueuã ornatiſsimũ & fortiſsimum Equitẽ,

quiin

qui in locum Vargę ſuffectus erat, cū mille Hiſpanis militibus & quidem electiſsimis, ac magno commeatuū, & aliarum rerum numero quæ ad bellū vſui eſſe ſolent, ſupportauit. Intereà milites, dum mœnia quaterentur, lignationis & munitionis cauſa in oliuetū ibant, crebriſq; prælijs cum Mauris, qui erāt in agris, decertabant. Sed nihil ad id, quod octauo Cal. Auguſt. fuerat ſumma contentione cum Draguthe factum. Erat inter Mauros quidam ex his Præfectis, qui fines Aphrodiſij contingunt, homo ſingularis audaciæ ac virtutis: is equo albo, iuba & cauda verſicolore aduehebatur, eumque triginta pedites, & octo equites ſequebantur,

cum his noſtros, dum in oliuetum irent, leuibus certaminibus crebro laceſſebat, nec deerat illi fortunæ ſucceſſus. Accidit autē, vt Ioānes Iordanus Vrſinus Florentinarū triremium Præfectus, qui in caſtris apud Toletum erat, expeditus in equo, cū alijs quatuor ęquitibus Florentinis euntes in oliuetū noſtros ſubſequeretur. Hi lignatione facta in caſtra redeunt, & cùm paulū ab oliueto progrederentur, Maurus, qui in inſidijs erat, Vrſinū aucupio intentum aggreditur, lanceaq́; infeſta medium eius brachiū magnis viribus traijcit, idq́; tāta celeritate, vt manuali tormento vti ille nequiret, ac priuſquā ſui ei opem ferrēt, equo decideret, equūq; amitteret,

quem poſteà Mauri ſuffoſſum reli querunt. Hæc memoriæ prodere viſum eſt, vt externi homines intelligant, non cum ignaua gente bellum eſſe geſtum, alit enim Africa viros & quidem fortiſsimos. Vbi nouem diebus tantum muri deiectum eſſet, quantum ad irrumpendum ſatis eſſe, videretur, Toletus triremes, quæ machinationem ſuſtinebant, promoueri, ibiq; conſtitui iubet, vnde tormẽtis globi, quã proximè in eam partem muri iacerentur, quæ pridie eius diei à continente fuerat deturbata. Cùm enim militibus eò irrumpendum eſſet, quà bellicis tormentis murus & turres erãt aliquantum dirutæ, neceſſe erat alterũ alteri auxilio eſſe,

mutuo-

mutuoq́; inter ſe omnes iuuare. Po ſtero die oppidani non neſcij quantũ periculi ex nauali machinatione, vnde tormẽtis diſcuti muri cœperant, immineret, vehemẽter cõtenderunt, vt eam muralibus tormentis perrumperent ac diſturbarent: quod certè ex ſententia ſucceſſiſſet, niſi Vega & Toletus quàm celerrimè triremes in breuia agi, carinaſque figi vadis curaſſent. Ex quo effectũ eſt, ne eo die amplius quatuor tormẽtis muri concuterẽtur, reliquis ab oppidanis cõtinenti muraliũ tormentorum cõiectione deturbatis, nõnulliſq; nautis occiſis, ac cæteris tãto timore perculſis, vt non modò rem tormentariã nemo gerere, ſed ne ad ipſa quidẽ tor-

 men-

menta propiùs accedere auderet, quin etiam cuncti ea deſerere, atq; omnem concutiendi muri curam abijcere omnino vellent. Id repentino accepto incommodo accidere cùm Vegam non fugeret, Orihuelam Valentinũ cum quinquaginta militibus tormentarijs eò miſit, vt perterritos nautas animo cõfirmaret, ne ſuſceptũ officium deſererent. Qui ea nocte ita perrupta refici, ac bellica torm ẽta diſponi curauit, vt in ſequenti die quinq; maioribus tormẽtis è machinatione, ac tribus ex ora maris tantũ muri illi demoliti ſunt, quantũ irruptioni ſufficere viſum eſt. Cùm verò vna eſſet omniũ ſententia, vt e veſtigio irruptio fieret, ſolus Vega eã in po-

ſterum diem differendam cenſuit: cuius conſilium poſtea euentus cõprobauit. Ex claſſe autem perquã difficilis & incerta erat globorum coniectio. Nam cùm triremes longiùs propter breuia à muro conſtitutæ eſſent, tormentarij globi oppidum trãſuolabant, & triremes ipſę vehementer afflictabantur. Ex quibus vna Toleti & quidẽ primaria, itemq́; altera Cigalæ Genuenſis penè ſuppreſſæ, ac nonnulli ex nautis vulnerati atque interfecti ſunt. Poſtridie eius diei manè Auria conuocatis triremium Præfectis quid fieri vellet, oſtẽdit, monuitq́;, ne quẽ ex claſſe in terram exponi permitterent, atque vt dato ex trireme prætoria ſigno, quàm celeri mo-

tu oppidum eo die triremibus cin gerent. Is dies erat ad quart. Idu. Se ptemb. noſtris longè gratiſsimus. Quo itē die Vega cohortes ex caſtris educit, atque eas hoc ordine ad irrumpendum inſtruit. Ferdinādum Toletum Tribunum cum tribus ex Neapolitano præſidio cohortibus, totidemq; ex ijs, quas Didacus Ferdinādus Moreruela, Antonius Morenus, & Aluarus Vega ducebant, in eam partē muri, quæ proximis diebus à continente deiecta fuerat, irrumpere iubet. A mari verò Ferdinandum Lupum Tribunū ſimul cum militibus ex Malæ Spinæ præſidio in id impetū facere, quod è nauali machinatione pridie fuerat deturbatū. His adiun-

git cohortes duas, quibus Ioannes Solizius & Hieronymus Mãricus prçerãt,totidemq́; euocatorum ex Neapolitano prçſidio. Reliquas ex his duas, pariter & eas, quarũ ordines Gaſpar Guzmannus & Amadorius ducebant, in eam turrim irruptionem facere imperat, quæ à ſiniſtro latere ad portam erat, cuius pars quædã diruta fuerat, cùm primum Aphrodiſium bellicis tormentis quati cœpiſſet. Hieroſolymitanis militib⁹ permiſſum eſt, vt quò vellẽt, eò ſignum inferrẽt, atq; impetum facerent. Cohortes autẽ, quibus Ferdinandus Sylua, Rodericus Paganus, & Petrus Acunia prçpoſiti erãt, in omnes caſus paratas, atq; tormentis bellicis prçſidio

 eſſe

eſſe voluit, his Siculos, de quibus ſuprà dictũ eſt, adiecit. Poſtremò Ioannem Guzmannum & Soleriũ cum duabus cohortibus præſidio caſtris reliquit, adiuncta etiam Grę corum centuria. Aluaro Vegæ prę cepit, vt diſpoſitis ſpeculatoribus diligenter curaret, nequid oppidanis ſubſidij ex agris mitteretur. Ac ſi qua hoſtium manus aduentare, adeſſeque videretur, nequa eius aduentus ſignificatio fieret, aut vllum ſignum tuba dari, aut ad arma conclamari permitteret, ſed per nuncios ea de re ſe certiorẽ quã celerrimè faceret. Atq; in eo aggere, qui pro caſtris erat, quinquaginta tormentarios milites ex his, qui præſidio caſtris erant relicti, colloca-

ret.

ret. Et vt ſingulis bellicis tormentis binos milites, qui rei tormentariæ eſſent periti, præponeret: vt ſi qui hoſtes irruerent, facilè ab his propellerentur. Rebus ſic conſtitutis, atq́ue omnibus, quæ ad irruptionem pertinerent, adminiſtratis, cùm iam meridies appropinquare videretur, Vega milites cohortatus hunc eſſe diem, quo maximè contendi conueniret, vt aliquādo pro tantis laboribus fructum victoriæ perciperent, ſignum tuba dari iubet. Hoc etiam ex prætoria trireme Auria facit, quo exaudito triremes ſimulatione inuadendi oppidi, vt hoſtes, qui murum compleuerant, diſsiparentur, ſeſe circunfuderunt. Milites verò ea celeritate, atq; eo

impetu euolarunt, vt omnino viderentur, murum, turres, propugnacula, & quicquid eſſet impedimenti, facilè ſuperaturi. Verùm adeò difficilis & arduus aſcenſus vtrinq; à continente erat, & introrſus foſſa, aggeribus & propugnaculis murus communitus, vt neq; aſcendere, neq; deſilire quis, niſi manifeſto cũ diſcrimine vitæ poſſet. Sed hoc tanto periculo contempto primus Ferdinandus Toletus Tribunus excellenti animo ac virtute vir murum aſcendit, inuentaque caſu trabe, qua Mauris à propugnaculis ad murum erat tranſmiſſus, in oppidum cum ſeptem ex his militibus, qui ſe Ducem ſequebantur, graui iam accepto vulnere deſiluit, acer-

rime

meq; hoſteis inuaſit, ac repulit: nec
eos cædere vnquàm deſtitit, donec
vtroq; femore manualibus tormē-
tis traiecto atq; fracto procubuit:
interfectuſq; omnino fuiſſet, niſi
eum Triſtanus Vrrea Aragonius,
Ferdinandus Honzinellas Ilerden
ſis, & Antonius Lupus Malacenſis
protexiſſent, hoſtiūq; manibus ſtre
nuè eripuiſſent. Accurrit Portillus
Toleti Signifer cū Valdezio & alijs
militibus, Turcaſq; fortiter repreſ-
ſit, Gaſpar etiā Guzmānus & Ama
dorius, cū paucis in murū, qui ad ſi-
niſtram turrim erat, irruperūt. Ibi
Guzmānus alterū ferè brachiū ami
ſit. At Thomas Richelmus Mur-
genſis Amadorij Signifer Quan-
dò inquit Milites nos Vega in hāc

partē

partē periniquā atq; maximè periculoſam irrūpere iuſsit, ſi moriēdū eſt, moriamur, vt Hiſpanos viroſque fortes decet. Irruit, ſignumq; in turrim infert, tormentarijſq; globulis necatur. Alij verò conuerſis ſignis, quà aditus ad mare patebat, continenti impetu irruerunt, breuia, vadoſumque mare, etiam ſi ab aqua tantùm humeris ac ſummo pectore extarent, ſuperauerūt. Hos Hieroſolymitani milites bellicoſiſſimi viri ſequuntur. At Turcæ & Præfecti, quibus oppidi cuſtodia à Draguthe commiſſa fuerat, toto ſe vndique muro circunfundere, armatos diſponere, noſtris reſiſtere, defeſsis recentes ſuccedere contendunt. Oppidani etiam magno con

cursu

curſu aduolant, compluresq́ue milites pertinaciter aſcendentes vulnerãt, atq́ue interficiunt. In his Ferdinandus Lupus Luſitanus Militũ Tribunus fuit, qui ictu tormenti transfixus, fortiſsimè occubuit. Hiſpani tametſi periculoſo genere prælij, locoq; alieno premebantur, quippe qui in fluctibus conſiſterent, neque manualibus tormentis commodè vti poſſent, quòd aquis tormẽtari⁹ puluis corruptus eſſet, tamen omnia fortiſsimo animo ſuſtinebant. Alij alios propellere, receſſum primis vltimi non dare, ſed acriter incenſi diſtrictis gladijs cominus rem gerere, ac tanto impetu murum aſcendere, vt interuallo vnius horæ hoſtes mœnibus, turri

bus,

bus,propugnaculisq́ue deijcerent, pomœriumq́ue duo millia Hiſpanorum occuparent. Hîc rurſus hoſtes ſe colligere, ac prælium redintegrare cœperunt. Alij cum tormẽtariorum manipulis nudatis etiam pectoribus manus conſerere, alij, cùm cætera tela deficerent, lapides conijcere. Hiſpani mutuò inter ſe cohortati, hoſtes ex pomœrio pellunt, multos concidunt, cedentes loco inſequuntur, neque ſui colligendi dant facultatem. Illi in foro ac locis patentioribus cuneatim cõſiſtunt, confertiſſimoq́ue peditum & equitum agmine prælium renouant. Atq́ue ita acriter pugnauerunt, tantamq́; virtutem præſtiterunt, quanta à viris fortibus in ex

trema ſpe ſalutis præſtari potuit. Nam quem quiſque pugnando locum ceperat, eum non niſi cum vita relinquebat: quòd viderent omnem ſpem ſalutis in vna virtute poſitā eſſe. At milites Hiſpani & Hieroſolymitani priſtinæ virtutis memores ferro viam aperiunt, nullū que conſiſtendi locum hoſtibus relinquunt: magna fit vtrinq; cædes, magno conſtat victoria, nihil oppidanis ad virtutē defuit: nemo enim niſi forti, inuictaq; manu hoſte interfecto longiùs progredi poterat. Tum Centurio Melchior Zumarraga Segouienſis fortiſsimè pugnans, tormentaria glande ſecundū aurē traiectus, in ipſo oppidi ſinu occiditur. Interim etiam accidit,

quod

quod dignum memoria viſum prętermittendum non duxi. Cēturionis Moreruelæ Signifer, idemq́; frater ab hoſtibus vulneratus cecidit: hunc iacentem, vt vidit frater tertius natu minimus, qui proximè aderat, ſignum arripit, in hoſteis irruit, punctoq́; temporis interficitur. Cui Moreruela Cēturio, etiam ſi multis grauibusq́; vulneribus penè confectus, ſuccedit, ſtrenueq́; illo munere fungitur. Neq́; enim ipſe inferre ſignum deſtitit, vſq; dum ea parte Manipularium virtute hoſtes ſummouerētur. At Moreruela & Signifer eius frater paucos poſt dies mortem ex vulneribus obierūt. Itaq; vexillū illud triū fratrum ſummi animi & virtutis funere cōſtitit.

ſtitit: Hoſtium verò alij magno cla
more ac fremitu, qui etiam vtrinq;
ſublatus [redacted] per totum oppidum
exaudiebatur, aditus platearum oc
cupare, ibiq́; fortiſsimè occidere.
Alij repentina ruina commoti, in-
opinato malo turbati, oppidi direp
tione perterriti in aliam partem fer
ri. Matres familiâs flentes cum libe
ris Deorum ira perculſę, repentè in
publicum proſilire, ad cœlum ma-
nus tendere, ad Machometi fana
procurrere, eò ſe recipere, ibiq́; pro
iectæ victoriam ab eo expoſcere,
omnibusq́; precibus à ſuis petere,
ne ſe, & cõmunes liberos hoſtibus
in perpetuam ſeruitutem, aut ſup-
pliciũ dederẽt. Quo fiebat, vt Tur-
cæ & Mauri audacius ſubſiſterent,

ac noſtris intrepidè occurrerent, atque eo animo depugnarent, vt vel ſaluti, ſubſidioq́; ſuis eſſent, vel fortiter occũberẽt. Qui etſi nulla vi noſtris ſe obſiſtere ſperabãt, tamẽ eos ſic inuadebãt, vt quàmplurimos loco depellerẽt, nõnulloſq́; interficerent, in his Antonius Iaquius Pimẽtelli ſiggnifer fuit vnà cum alijs tribus militibus, qui inferiores ordines ducebãt Tũ Alphõſus Pimẽtellus, & Frãciſcus Orihuela Cẽturiones, & ſigniferi Aluari Vegæ & Solizij vulnerãtur. Multi etiã de Hieroſolymitanis militibus interficiũtur, in his ſignifer & Frãciſcus Mõroius fuerũt. At Chimeranus eorũ Dux accepto iam in altero brachio vulnere, in Turcas irruẽs eos repel

lit, ac cędit; Quē Ferdinādus Menezius Luſitanus, Didacus Solizius Salmanticēſis, Melchior Mōſerratus Aragonius, & alij eius Ordinis fortiſsimi Milites ſequūtur. Occurrūt Mauri Alexandrini & Oppidani, & magnis ſe cohortati clamoribus, pugnā reparant, atroxq́; fit certamē. Multi vtrinq; cadunt, atq; in his Lupus Vlloa ſtrenuus eques, & Petrus Sedenius Aluari Vegę ſignifer, qui primus ſimul cū Signifero Hieroſolymitano ſignū intra oppidū intulerat. Quo nr̄i acriùs incitati, præſertim cùm in conſpectu Vegæ & Toleti, quinetiā Auriç, atq; adeò omniū, qui in caſtris & claſſe erāt, rem geri, nihilq́; ſtrenuè aut ignauè factū poſſe celari viderent:

tanta animorum & virtutis contẽtione in hoſteis impetum fecerũt, vt ex vijs ac foro eos pellerent, perſequerentur, & cæderent: omneſque victoriæ potiùs quàm prædæ ſtuderent, nullumq; pugnandi finem facerent, quoad omni parte ſummotis hoſtibus omnes ad vnũ aut capti, aut occiſi eſſent. Pugnatũ eſt à meridie prope ad occaſum ſolis, variè acriterq;, ac tanta omnium contentione, vt nemo ferè eorum fuerit, quin vulneraretur, atque ex his fortiſsimus quiſq; interficeretur, inter quos fuit Hales alter Turcarũ Præfectus, qui à Chriſtiana Repub. deſciuerat. Heſa verò alter præfectus, quẽ ſororis Draguthis filiũ eſſe dixeramus, ſimul

& trecenti Turcæ ac Mauri continenti impetu vltimas oppidi partes petiuerunt. Verùm cùm nullus eſſet fugæ locus, occupatis duabus turribus, vbi paulùm repugnaſſet, ſe Vegæ tradiderunt. Ex quibus ipſe ſeptuaginta ijs militibus, qui vulnerati, & præſidio caſtris relicti erant, conceſſit. Cigalæ Genuenſi Heſam. Præfectũ donauit, vt eo filium, qui apud Draguthem in vinculis erat, redimeret. Reliquos prædæ nomine ijs militib. diſtribuit, quorum virtute oppidum eo die expugnatum eſt, nemine omnino ex his ſibi retento, quòd exiſtimaret famam virtutis Principi viro abundè præmium fore. Quæ res cùm Vegam omni laude dignum

tum etiam multo chariorem admi rabilioreq́; militibus fecit. Expugnato oppido, deprehẽſæ ſunt in cothone naues illæ, quæ ab Alexandria milites, frumentum, & cómeatus deportauerãt. Inuenta ſunt etiã quatuordecim ærea tormenta ingẽtia, præter alia non pauca ex ferrea materia. Ad hæc multa atq; lauta ſupellex, & magnũ pondus auri & argenti His accedebat non parua copia frumenti, cómeatuum, cæterarũq́; rerũ, quæ ad bellicum vſum erant cõgeſtę. Captiuorũ numerus ad Vegam relatus fuit millium ſeptem. Nec noſtris ea victoria incruẽta fuit amplius ducẽtis occiſis, alijſque quamplurimis vulneratis, ex quibus multi poſteà ex vulnerib⁹,

ꝙ tela veneno illita fuiſſe crederẽtur, interierunt: atq; in his Ferdinãdus Toletus, militũ Tribunus: occubuiſſentque multo plures, niſi q̃ primũ Vega ſaucios in Siciliam deportandos curaſſet. Ex Hieroſolymitanis Militibus, qui eo die, vt ſolent, fortiſsimè pugnauerunt, tum in pugna, tum etiã nõn multo pòſt ex vulneribus, quæ in ea pro Chriſtiana Repub. acceperant, paulò plus triginta mortem oppetiuerũt. Poſtero die Vega primùm purgato oppido, fanũ, quod ibi erat maximum, expiandum, dedicandumq́ue Deo Opt. Max. curat: inibiq; facta re diuina, occiſos ſepeliri præcipit, deinde oppidum muniri, deiecta bellicis tormẽtis refici, foſſas

expurgari, frumentum, commeatusq; in oppidum cõportari iubet. Dum hæc Aphrodiſij geruntur, captiui quidam Græci, qui ex Meninge profugerant, Auriæ nunciãt Othomanum cæcũ ab altero eius inſulæ Præfecto interfectũ, quòd impẽſe Turcis ſtuderet, omnibusq́ue officijs Draguthem proſequeretur: cui etiam ipſe plurimùm tribueret, ſeq́; illi vni cõmitteret: eoq́ue interfecto inſulanis interdictum, ne quis Turcas exciperet, aut vlla re iuuaret. Draguthem verò re intellecta cum liberis & vxoribus, ſarcinis atq; impedimentis ſe in naues recepiſſe, huc atq; illuc deerrare, neque alium receptum habere, in quo tutò hyemare poſ-

ſit. Hoc nũcio accepto Auria com municatis cũ Vega & Toleto cõſilijs inita quarta vigilia cũ viginti triremibus in Meningẽ proficiſcitur, quẽ ſtatim Vega cum reliqua claſſe ſubſequitur. Cũ iã Rhuſpas prætervehererẽtur, pauloq́; plus triginta millibus paſſuum à Cercina abeſſent, in quam inſulam Pirata ſe cõtulerat, tãta ſubitò tempeſtas coórta eſt, vt nulla earum triremiũ curſum tenere poſſet: ſed eódem, vnde erant profectæ, referrentur. Auriaq́; & Vega incœpto conatuq́ue deſiſterent. Qui poſteà ex Mauris compererunt, Piratam ex Meninge expulſum tota illa ora vagari, nauibuſq́; receptaculũ quærere ac petere, quo in hybernis tutius eſſet

 quòd

quòd Meningitanis ſe committe-
re non auderet. Vega omnibus re-
bus, quas fieri iuſſerat, perfectis: mil
le & ducentos Hiſpanos cum ma-
gno tormentorum, cæterarumq́ue
rerum bellicarum, & frumenti, ac
commeatuũ numero oppido præ-
ſidio relinquit. His Aluarum Ve-
gam filium vſq; dum aliud Cæſar
imperaret, præficit: eiq́; mandat, vt
oppidum muniendum curet, ca-
ueatq́;, ne quid detrimenti ex hoſti
bus accipiat. His prudenter cōſti-
tutis, omnibuſq́; rebus ad nauiga-
tionē cōparatis, octauo Cal. Octo.
omnes cum captiuis, & prę da, quę
cuiq; obuenerat, Aphrodiſio ſol-
uũt. Verũ cùm triremes tēpeſtate
quatuor dies cōtinenter afflictaren

tur, ne

tur, neq; vlla earum Laruneſias ca
pere poſſet, coacti ſunt eodẽ, vnde
egreſsi erãt, reuerti. Rurſus paucis
poſt diebus ex portu exeũt, & quã
quam nõnullę triremes grauiter af
flictæ, ac vento diſperſæ fuerunt, ta
men omnes ad vnam incolumes
Drepanum peruenerunt. Ibi Ioan
ne Vega Prorege magno Siculorũ
concurſu ac gaudio excepto, An-
dreas Auria & Garſias Toletus pro
fecti, hic Neapolim, ille Genuam
pridie Idu. Nouemb. incolumis eſt
reuerſus. Hac Hiſpanorum victo-
ria nunciata magnus, repentè ter-
ror vniuerſam Africã inuaſit, pro-
pterea ꝙ id oppidum, in quo omnẽ
ſpem cuncti repoſuerant, à noſtris
expugnatũ viderẽt: & quo amiſſo,
totam

totam etiam prouinciam armis ſubigendam crederent, ipſamque tādem in Christianorum poteſtatem deuenturam conſtanter affirmarent. Quod ita euenturum multi Mauri, præcipuè ij, qui ipſorum lingua Alfachij, Latina Sapientes appellantur, ſe ex ſortibus & vaticinationibus prænouiſſe teſtabantur. Quo factum eſt, vt complures captiui à Machometo deſciſcerent, atque eò magis, vt id facerent, adducti ſunt, quòd oppidum illud ab alijs fruſtra tentatum accepiſſent. Nam, vt cæteros omittam, Alphōſus Aragonius Neapolitanorū clariſsimus & fortiſsimus Rex, cùm Tunetenſiū Regem prælio ad Meningem ſuperatum veſtigalem feciſſet,

ciſſet, Aphrodiſiumque obſidere ſtatuiſſet, perſpecto eius ſitu, de expugnatione deſperauit, nauibuſq;, quas ibi extra cothonem deprehẽderat, incenſis, ne tentata quidem re Neapolim ſe recepit. At Hiſpani milites nullis auxilijs adiuti, nullis externis militibus, præter Hieroſolymitanos, Græcos & Siculos, quoſdã, ſicuti demonſtratũ eſt, admiſsis, bellica virtute Neapolim, Siciliam, Sardiniam, aliaſque maris concluſi Chriſtianorum inſulas, & ciuitates maritimas liberas à Draguthe, immaniſsimo Prædone fecerunt, auſpicijſque Caroli Quinti Cæſaris Aphrodiſium expugnauerunt, quod, vt olim Barbarorum, ſic nunc Chriſtianæ Reipublicæ

publicæ munitiſsimum eſſet propugnaculum. Niſi illud, quadriennio poſt, quo expugnatū fuit, Cæſar dirui, atque funditus euerti imperaſſet.

COMMENTARII
de Aphrodiſio expugnato Finis.

# ERRATA.

¶In prima linea præfationis Scepperi, lege, Megalopolitanus.

¶Et eodem folio linea. 20. regionum.

## ERRATA IN Commentario.

¶Folio.4.pag.2.linea.2.lege qui.
¶Folio.6.pag.2.linea.19. inſequenti.
¶Folio.7.pag.1.linea.19.Militum.
¶Folio.9.pag.2.linea.4.Inſubriæ.
¶Ibidem.linea .7.inditum.
¶Folio.10.pag.2.linea.10.ſoluens.
¶Folio.16.pag.1.linea.6.Cunicularias.
¶Folio.24.pag.2.linea. 15. oppugnationis.
¶Folio.42.pag.2.linea.13.inſequenti.
¶Folio.45.pag.2.linea.6.à continenti.
